

93.


DE
COINCIDENTIAE APUD CICERONEM
VI ATQUE USU.

SCRIPSIT

HERMANNUS LATTMANN
DR. PHIL.



GOTTINGAE,
APUD VANDENHOECK ET RUPRECHT.
MDCCCLXXXVIII.


HARVARD COLLEGE
DEC 24 1889
LIBRARY.

HENRICO DIETERICO MUELLERO

MYTHOLOGO ET GRAMMATICO DOCTISSIMO

PATERNA FAMILIARITATE CONJUNCTO

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

HERMANNUS LATTMANN.

Prooemium.

De coincidentibus sententiis primi disputaverunt Lattmannus et Muellerus, cum quae relationes inter tempora verborum possent intercedere, exponerent in gramm. lat. ed. a. 1863. Atque tres esse relationes temporum voluerunt, congruentiam, antecedentiam, coincidentiam. De coincidentia autem in illo libro § 109 haec posuerunt: „Wenn im Haupt- und Nebensatze dasselbe Subject sich findet, und auch die beiden Prädicate identisch sind, oder so gewissermassen ineinanderfallen, dass die eine Handlung in der andern mit enthalten ist, so muss in der Regel auch in beiden Sätzen dasselbe Tempus stehen. Solche Sätze nennt man coincidente Sätze“.

Quae res deinde multis exemplis probatur, in quibus et omnia verborum tempora invenimus et variis pronominibus vel particulis sententiarum membra conjungi videmus. Quod ex paucis locorum cognoscatur. *Cum nosce te dicit, hoc dicit nosce animum tuum. Cic. tusc. 1, 52. Cum Collatino collegae Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere injuste. C. off. 3, 40. Lentulus quidquid habuit, quantumcunque fuit, habuit ex disciplina. C. Brut. 268. Fecisti mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me misisti. C. Att. 2, 4. Exspectationem nobis non parvam attuleras, cum scripseras, causam nostram Pompejum certe suscepturum. C. Att. 3, 18. Ego tantum me scire putabo, quantum ex tuis litteris cognitum habebo. C. fam. 15, 20. Pergratum mihi feceris, si de amicitia disputaris quid sentias. C. am. 16.*

Demonstrandum videtur, quid antea viri grammatici de enuntiationibus ejus generis judicarint. Neque vero mirum est a plerisque nihil de ea re esse disputatum, cum ne de relatione quidem temporum omnino quidquam statuerint. Quod neglexerunt non solum vetustioris aetatis omnes, opinor, usque ad Ramshornium, sed etiam eorum, qui post hunc virum doctissimum grammaticas composuerunt, nonnulli, velut Zumptius,

Kuehner, Kritzius et Berger, Johannes de Grüber. Neque Seyffertus de relatione temporum quidquam tradidit, nisi quod imperfectum relativum sejunxit ab absoluto (cf. ejus gramm. lat. ed. V. a. 1862. § 237). Primus igitur Ramshornius mihi videtur omnia tempora divisisse in absoluta et relativa, satisque copiose de utrisque disputavit (cf. ejus gramm. lat. ed. a. 1824. § 50 et 164). Eandem fere divisionem, etsi singula alius alia ratione mutavit, tenuerunt Reisigius (in scholis ed. ab Haasio a. 1839. § 281 sqq.), Haasius (in scholis p. II. ed. a Petero a. 1880. p. 288 sqq.), Feldbauschius (in gramm. lat. ed. a. 1837. § 394 B.), Weissenbornius (in gramm. lat. ed. a. 1838. § 165), Madvigius (in gramm. lat. ed. a. 1844. § 333—340) alii. Sed hi omnes a Lattmanni et Muelleri ratione eo valde differunt, quod alia tempora absoluta, alia relativa esse volunt, cum illi unumquodque tempus et relativam et absolutam vim habere posse dicant (cf. Lattm.-Muell. l. l. § 98). Unus, quod sciam, universum temporum usum similiter distinxit Billrothius (in syntaxi lat. ed. a. 1832. § 101). Sed ne hic quidem hujus coincidentiae relationis simile quidquam protulit. Nonnulli tamen in conjunctionibus pertractandis „cum“ particulam sequente indicativo nonnunquam significare dicunt „indem, dadurch dass“, neque vero de temporibus quidquam statuerunt (ut Weissenbornius l. l. § 451). Vel in talibus „Pergratum mihi feceris, si de amicitia disputaris“ actionem alteram cum altera uno tempore confectam fore dici voluerunt, ut temporum quidem rationem haberent neque vero actionum artum perspicerent connexum (ut Madvigius l. l. § 358, ann. 2. § 340, ann. 2, et similiter Feldbauschius l. l. § 403. 2).

Primus, quem quidem noverim, et temporum et sententiarum relationem certe in iis enuntiationibus, quae cum particula conjunguntur, cognovit Augustus Grotefendus, cf. ejus gramm. ed. a. 1829 et 1833. Quorum librorum in priore § 328. 3 haec legimus: „Der Indicativ steht endlich nach quum, wenn das im Hauptsatze Gesagte nicht nur mit der im Nebensatze ausgesagten Handlung gleichzeitig, sondern in dieser selbst mit eingeschlossen ist. Quum wird in diesem Falle durch ‘wenn, indem, dadurch dass’ übersetzt. Quum in portum dico, in urbem dico. Verr. III. 37. Praeclare facis, quum puerum diligis, fin. III. 2“ alia. — „Anm. In solchen Sätzen muss das Verbum des Hauptsatzes mit dem des Nebensatzes der Form nach durchaus übereinstimmen“. — Sensisse vero eum virum doctum latius patere hunc usum ex iis apparet quae sequuntur: „Dieselbe Art der Beziehung des Hauptsatzes

zum Nebensatze findet auch in folgenden Sätzen statt: Qui Antonium oppresserit, is bellum confecerit (fam. X. 19). Magnam jacturam causae fecero, si ullam esse convenientiam naturae cum extis concessero (div. 2, 15)" e. q. s. Grotefendum secutus est G. T. A. Kruegerus (l. l. § 623. A. 1. a. et § 580.b.). Idem fere, quod quidem ad cum particulam pertinet, in Raphaeli Kuehneri gramm. pluribus verbis (cf. Schulgramm. der lat. Spr. 5. Aufl. 1861. § 149, 6) et in Ellendti et Seyfferti gramm. astricta oratione dictum invenimus (cf. ed. V. a. 1862. § 266. ann. 2). Sed si hanc Grotefendi rationem (quam a primo auctore appellare mihi liceat) conferas cum illa Lattmanni et Muelleri, hoc apparet interesse, quod Grotefendus, quique eum sequuntur, singularem et sententiarum relationem et temporum esse in quibusdam enuntiationibus, quae cum particula conjungerentur, viderunt, eandem ad alias quoque sententias pertinere Grotefendus solus sensu quodam potius percepit, quam penitus perspexit, cum enuntiationes ejus generis, in quibus bina futura exacta reperiantur, leviter attigerit in annotatione. Illi vero viri docti hanc relationem et temporum et sententiarum latissime patere per omnia fere enuntiationum genera omniaque tempora verbi docuerunt. Neque singulis in conjunctionibus pertractandis ejus rationem haberi satis duxerunt, sed proprium eam locum habere judicarunt, cum id ageretur, ut temporum rationum leges statuerentur, eamque ob causam rei singulari proprium etiam dedere nomen*).

Jam quaeritur, qui viri docti post annum 1863 de arte grammatica scripserunt, quomodo acceperint ea, quae Lattmannus et Muellerus demonstrarunt, probarint an refutarint. Neque vero deerant, qui huic doctrinae assentirentur, quamquam decennio demum fere post, quam ille liber primum prodierat. Nam Em. Hofmannus, cum a. 1873 quae ante annos tredecim de particularum temporalium constructione scripserat, denuo ederet, cum alia tum pauca adjecit, quibus pares temporum formas tum necessarias esse doceret, cum duae enuntiationes conjunctione „cum" ita conjungerentur, ut ei rei, quae enuntiatione secundaria fieri diceretur, primaria enuntiatione

*) Nam quas actiones Em. Hofmannus, ubi de constructione particularum temporalium disputavit (Zeitschr. f. öst. Gymn. 1860. p. 653) coincidentes dixit, earum tempora omnino non relata sed absoluta appellavit (l. l. p. 693), ut longe aliam vim ei verbo tribuerit; neque id certum artis nomen esse voluit. Illas autem enuntiationes, in quibus Grotefendus, Kuehnerus, Seyffertus proprium temporum usum intellexerunt, Hofmannus (in priore quidem ejus libelli editione) a ceteris sejungendas non putavit.

non altera res adjungeretur, sed eadem quid valeret, quam vim haberet, qualis esset, exponeretur (cf. l. l. p. 127). Quae sunt sententiae ejus generis, quas Lattmannus et Muellerus coincidentes dicant. Etiam in commentariis ad veterum scriptorum libros conscriptis interdum viri docti coincidentiae ratione usi sunt ad temporum usum explicandum. Atque M. Wetzelius in libello, qui inscribitur „Beiträge zur Lehre von der consecutio temporum im Lateinischen“ ed. Paderborniae a. 1885, § 2 haec scribere non dubitat: „Die Lehre über die Koincidenz insbesondere ist in der That ein so verdienstvolles Werk, dass man schon mit Rücksicht hierauf es vollkommen begreift, wie die L.-M.sche Tempuslehre so viele Anhänger gefunden hat“. — Idem vir doctus coincidentiae locum dedit in Schultzii grammatica latina, quam denuo pertractatam edidit a. 1886. cf. § 271. Praeterea Schottmuellerus in gramm. lat. ed. XXII. a. 1880. § 192, quo in loco temporum usum in universum explicat, etiam coincidentiam commemorat. Neque tamen hac ratione universe exposita in singulis enuntiationum generibus pertractandis utitur. Etiam Seyffertus inde ab editione grammaticae XII a. 1872 ei annotationi, quam supra attulimus (p. 3), addidit haec verba: „cum coincidens“. Neque in universo temporum usu explicando quidquam mutavit (cf. ed. V. a. 1862 et ed. XXIX. a. 1886. § 234 sqq.). Reliqui vero viri docti, quos equidem cognoverim, qui grammaticas artes sive scholarum in usum sive ipsius artis et litterarum causa composuerunt, ne nomen quidem coincidentiae receperunt, rem ipsam prorsus neglexerunt. Vide Draegeri „syntaxin historicam linguae latinae“ (II. a. 1881), Kuehneri, „grammaticam pleniorem“ (a. 1878 sq.), Gosravii, gramm. lat. (ed. II. a. 1880), et quas ediderunt Bornhakius (a. 1871), Schroeerus (a. 1876), Goldbacherus (a. 1883), Gillhausenius (a. 1883), Heraeus (a. 1885).

Caput I.

De coincidentiae vi ac notione.

Cum alios summis laudibus Lattmanni et Muelleri de coincidentia doctrinam efferre, alios eam prorsus negligere viderem, hoc mihi proposui, ut quam vim habeat ea quam illi vocant coincidentia, quibus legibus contineatur, quam late pateat, Ciceronis libris perlectis omnibus, quam verissime cognoscerem. Totius autem huius dissertationis capite primo quaerendum videtur, quae sit vis ac notio illius coincidentiae.

A.

Atque primum ea, quae Lattm.-Muell. de coincidentia docuerint, quibus exemplis probarint, singula diligenter perpendamus. Qua in re pleniorem illorum grammaticam postremum editam a. 1872, quae inscribitur „Lat. Schulgrammatik für alle Klassen", quasi ducem sequamur, ita tamen, ut quaecunque in breviore editione novissima (Kurzgef. lat. Gramm. 5. Aufl. 1884) mutata sunt, conferamus. Distinguemus has editiones his notis, ed. III et ed. V.

Quas enuntiationes Lattm.-Muell. coincidentes dici voluerint, eis verbis significaverunt ed. III. § 109, quae initio prooemii perscripsimus. Multis exemplis ibidem allatis sic pergitur ann. 1: „Aus den angeführten Beispielen ergibt sich, „dass die Identität der beiden Prädikate sich häufig versteckt, „indem in dem einen Satze entweder ein Synonymum oder ein „Verbum allgemeinen Begriffs steht (facere, accidere, esse) „oder ein Hülfsverbum, bei welchem der Infinitiv des anderen „Prädicats zu ergänzen ist (licet, possum, volo, debeo, videor „u. a.)".

1.

Maxime sine dubio coincidentiae vis in iis sententiis apparet, quarum primariae eadem quae secundariae habeant et subjecta et praedicata, cujus generis exempla l. c. invenimus haec: *Quum in portum dico, in urbem dico venisse pira-*

tas. Ver. 5, 96. Quum nosce te dicit, hoc dicit: nosce animum tuum. Tusc. 1, 52. 55. Amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. Am. 23. — Quid emebat, quum te emebat? Flac. 83. — Gabinius illud quoquo consilio fecit, fecit certe suo; quaecunque mens illa fuit, Gabinii fuit. Rab. Post. 21. Lentulus, quidquid habuit, ... habuit ex disciplina. Brut. 268. — Quod cum dederis, sine infamia illud dederis. Caecil. 23. Satis te mature videro, si plane confirmatum videro. Fam. 16, 4. — Adjecta sunt in ed. V haec: *Id cum impetrabatur, hoc videlicet impetrabatur. Artemisia, Mausoli regis uxor, quamdiu vixit, vixit in luctu.*

Quibus in locis singulis non binae res, sed singulae bis exprimuntur ea ratione, ut quid fiat, vel factum sit, vel futurum sit secundaria ponatur enuntiatione, contra primaria idem quid sibi velit vel quid valeat vel quale sit, explicetur. Quam rationem inter eas quidem hujus generis sententias, quae „cum" particula conjunguntur, intercedere recte etiam Hofmannus intellexit (cf. libri supra laudati. ed. II. p. 127).

Itaque illorum exemplorum sententias etiam sic possumus exprimere: illud in portum dicere idem est, quod in urbem dicere; illud nosce te dicere idem quod n. a. t. dicere; illud te emere idem erat quod nihil emere; illud quodvis faciendi consilium fuit Gabinii consilium; illud te confirmatum videre idem erit quod mature videre; et similiter reliqua. Secundaria igitur quaeque sententia subjecti vim quodammodo habet, primaria praedicati.

2.

Vix differre ab his videntur ea exempla, in quibus bina verba synonyma exstant velut: *Omnia tu Dejotaro, Caesar, tribuisti, cum et ipsi et filio nomen regium concessisti. Dej. 36. Salutem cum his dederis, tres fratres rei publicae condonaveris. Lig. 36.* De hoc autem ejusdem generis exemplo dubitari potest: *Provincia accusat, cum is agit causam, quem sibi illa defensorem sui juris adoptavit. Caecil. 54.* Quo in loco causam quidem agere idem est quod accusare, sed diversa sunt subjecta, provincia et is. Atque ipsos Lattm.-Muell. consulto hunc locum ex posterioribus editionibus removisse ex iis conjiciendum est, quae in ed. V. addiderunt § 108, ann. 1: „Wie wesentlich die Identität des Subjectes ist, zeigen Sätze wie:" e. q. s. Sed rectius in ed. III. § 109, ann. 2 admoneri censeo, saepe unum utriusque enuntiationis subjectum, etsi verbis non exprimatur, in sententia posse latere, id quod in hoc quoque loco valere

mihi videtur. Nam is quem sibi provincia defensorem sui juris adoptavit, pro ipsa est provincia neque ipsa provincia accusare potest, nisi per ejus personam, qui causam ejus agit. Itaque etiam hoc loco coincidentes contineri sententias agnoscendum existimo. Atque ex ipsa ann. 2 huc pertinere puto hunc locum: *Ipsi qua quemque in tenebris pavor* *t u l i t*, *f u g e r u n t. Liv. 4, 39.* Nam pavore ferri et fugere ejusdem fere sunt notionis. Denique in ann. 1, qua latius quidem patere coincidentiae usum scriptores demonstrare voluerint (cf. p. 11 sq.) tamen duo exempla reperiuntur, quae inter priora recte mihi videntur referenda fuisse, cum etiam in iis sint verba synonyma. Sum autem hi loci: *Quae vitia qui f u g e r i t, omnia vitia v i t a v e r i t (or. 69, 231). Cum tuto haberi senatum sine praesidio non posse j u d i c a v i s t i s, tum s t a t u i s t i s etiam intra muros Antonii scelus audaciamque versari. Mur. 26, 13.*

3.

Etiam cum in primaria enuntiatione v e r b u m a l i q u o d g e n e r a l i s n o t i o n i s, velut f a c e r e, agere, accidere reperiatur, non duas res, sed unam significari, concedendum videtur. Nam in his quoque exemplis, quod fieri secundaria enuntiatione dicitur, idem primaria enuntiatione quomodo fiat, explicatur. Hujus generis in ed. III exempla afferuntur haec: *Bene f a c i t i s, cum v e n i t i s. Auct. ad Her. 50* i. e. adventus vester beneficium est. *Praeclare f a c i s, cum puerum d i l i g i s. fin. 3, 9. Senes cum rem publicam consilio et auctoritate d e f e n d e b a n t, nihil a g e b a n t? sen. 15* i. e. illud defendere eratne nihil agere? *F e c i s t i mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me m i s i s t i. Att. 2, 4. F e c i t humaniter Licinius, quod ad me misso senatu vesperi v e n i t. Qu. fr. 2, 1. Nihil aliud f e c e r u n t, nisi rem d e t u l e r u n t. Rosc. Am. 37. Pergratum mihi f e c e r i s, si de amicitia d i s p u t a r i s quid sentias. am 16.* Denique huc pertinet hoc: *A c c i d i t perincommode, quod eum nusquam v i d i s t i. Att. 2, 4.* Nam etiam horum verborum sententiam sic exprimere possumus: istud non videre casus fuit perincommodus, ut ita dicam. Subjectum autem unum esse rursus intelligitur potius, quam verbis exprimitur, praesertim cum in verbo „accidit“ ut impersonali quod dicunt, certum subjectum omnino locum non habeat, cf. ed. III. § 109. ann. 2: „Die Iden-„tität der Subjecte versteckt sich mitunter, z. B. bei dem Ge-„brauche eines unpersönlichen Verbums, wie licet“. Qua ex annotatione etiam hoc exemplum huc referri oportet: *Gratissimum*

nobis feceris, si a te didicerimus . . . . sen. 6 i. e. si nos docueris.

In omnibus his exemplis generalia verba non inveniuntur, nisi in primariis enuntiationibus. Sed cum in ann. 1, quam supra pag. 5 attulimus, haec legantur: „indem in dem einen Satze entweder ein Synonymum oder ein Verbum allgemeinen Begriffs steht“, crediderit quispiam inter exempla allata etiam ejus generis inveniri, in quibus secundariis enuntiationibus generalia verba contineantur. Sed tantum in uno exemplo faciendi verbum secundariae enuntiationis est, neque tamen huc id pertinet. Est enim hoc: *Si provinciam, quoad ejus facere potueris, quam expeditissimam mihi tradideris, facilior erit cett. fam. 3, 2.* Nam hoc loco faciendi verbum non simplex positum est, sed pendet a verbo posse, quod ex verbis auxiliaribus est, de quibus infra dicemus. In reliquis exemplis generale verbum in secundaria enuntiatione positum non videmus, praeter unum verbum „esse“, quod rursus in primariis enuntiationibus non exstat. Sed de his enuntiationibus longe aliter judicandum est. Sunt autem hi loci: *Lentulus, quidquid habuit, quantumcunque fuit, habuit ex disciplina. Brut. 268* (nam in his etiam hoc membrum „quantumcunque fuit“ a Lattm.-Muell. conincidens haberi cum illo „quidquid habuit“ ex litteris latius dispositis conjiciendum est). *Sumpsere, unde cuique proximum fuit. L. 3, 27. Navium quod fuerat, contraxerat. b. g. 3, 16.* Hi loci cum eo a superioribus differunt, quod quae res factae sint non secundariis sed primariis sententiis indicatur, tum neque subjecta eadem habent in primariis et secundariis enuntiationibus, neque ulla ratione ei normae respondent, quam Lattm.-Muell. his verbis posuerunt: „Wenn . . . . die beiden Prädicate iden- „tisch sind, oder so gewissermassen in einander fallen, dass „die eine Handlung in der anderen mit enthalten ist“. — Sed restant duo exempla similia: *Philippus, quantum in illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo sentiret. Just. 9, 4. Omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt. Phil. 2, 29.* In his „quantum in illo fuit“ idem valent quod „quantum potuit“ et „quantum in ipsis fuit“ idem quod „quantum ipsi potuerunt“. Haec igitur ad verborum auxiliarium usum pertinent, quem deinceps tractabimus.

4.

Nam ut in verbo vel synonymo vel generalis notionis, sic in verbo auxiliari quod dicitur (ut sunt licet, possum, volo, debeo, videor alia) eandem sententiam latere posse atque in altero verbo l. c. ann. 1 legimus, ea quidem condicione,

ut hujus ipsius verbi infinitivus simul audiatur. Atque permulta hujus generis exempla collecta videmus, quorum non plura attuli quam ut varias locorum species omnes possent intelligi.

Dico igitur et quam possum (sc. dicere) maxima voce dico. dom. 96. (Philosophiae praecepta) ne obsolescerent, renovabam, quum licebat, legendo (de subjectorum discrepantia cf. § 109 eandem ann. 2, quam supra attulimus pag. 7 inf.) ac. 1, 11. Consul, quantis maximis itineribus poterat, ad collegam ducebat. L. 27, 43. Quam potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. fam. 15, 4. Quoad potuit, restitit. b. g. 4, 12 u. C. sen. 11. Quae voluisti, abstulisti. Ver. 4, 37. Scripsi, ut debui diligenter. Att. 11, 1. Quoties quisque voluit, dixit et quam voluit diu. Q. fr. 1, 1, 7. Fenestras, quibus in locis visum est (i. e. quibus libuit sive voluerunt) reliquerunt. b. c. 2, 9. Ab iis non es adjutus, a quibus debuisti. fam. 1, 9. Quod jussus sum (i. e. quod debui) feci. fam. 10, 31. Carbonem, quocunque modo potuimus . . . sustinuimus. am. 41. Hoc feci, dum licuit; intermisi, quoad non licuit. Phil. 3, 33. Lysander, postquam . . . quae voluerat, dixerat, testimonii loco librum a Pharnabazo datum tradidit. N. 6, 4. Tribues his voluminibus temporis, quantum poteris, poteris autem, quantum voles. off. 3, 121. Malevolentiae hominum in me, si poteris, occurres . . . . fam. 11, 11. In nonnullis autem locis infinitivus alterius verbi non simul auditur, sed ipse additur, velut in hoc; *Vixit tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere. Brut. 4.* In hoc uno generalis verbi infinitivum adjectum invenimus: *Si provinciam, quoad ejus facere potueris, quam expeditissimam mihi tradideris, facilior erit cett. fam. 3, 2.* Minime autem huc pertinent duo exempla, quorum alterum hoc est: *Quum minime videbamur, tum maxime philosophabamur. n. d. 1, 6* alterum hoc: *Caesar praesidium utrisque castris, quod satis esse visum est, reliquit. b. g. 1, 51.* In neutro enim loco verbum videri auxiliaris verbi vim habet, neque coincidentes sententias iis locis mihi contineri videntur. Sed etiam ex annot. 2 (cf. p. 13) ad hunc locum, cum de verbis auxiliaribus agamus, pertinere videntur haec duo exempla: *Catilina, ubi satis explorata sunt, quae voluit, in unum omnes convocat. Sal. Cat. 17* (recte annotantur haec: „zu explorata sunt ist Catilina logisches Subject = ubi exploravit“) et hoc alterum: *Tantum hostium multitudinem nostri interfecerunt,*

quantum f u i t *diei spatium. b. g. 2, 11*, quae sic ibi explicantur: „Der Nebensatz ist ein abgekürzter Vergleichsatz = „quantum per diei spatium licuit = quantum potuerunt“.

Jam si omnia ea exempla spectamus, quorum in secundariis enuntiationibus verba auxiliaria ita posita sint, ut alterorum verborum, quae sunt in primariis enuntiationibus, infinitivi vel simul audiantur vel additi sint et subjecta eadem vel sint vel intelligantur in utrisque enuntiationibus, aliquid interesse mihi videtur inter haec et illa exempla, in quibus cum subjecta eadem tum praedicata in utrisque enuntiationibus vel eadem vel synonyma sint, vel primariarum enuntiationum praedicata sint verba notionum generalium. Nam posse dicere vel velle vel debere non idem est, quod ipsum dicere, neque cui licet vel videtur dicere, is semper dicit. Porro in superioribus illis exemplis omnibus secundariis enuntiationibus, quid fiat vel factum sit, dici, contra primariis idem quid valeat vel quo modo fiat factumve sit, explicari supra vidimus; in his autem quae fiant vel facta sint, p r i m a r i i s exprimuntur enuntiationibus, contra secundariis condiciones quaedam animi indicantur, quibus res aguntur. Itaque ne his quidem secundariis enuntiationibus novae rerum actiones ad eas adjunguntur, quae primariis expressae sunt, neque vero prorsus idem valent secundariae enuntiationes atque primariae. Accedit, quod ex exemplis allatis, in quibus insunt verba auxiliaria, dimidia fere pars est eorum, in quibus illa verba comparativis enuntiationibus (particulis quoad, quam, ut, quantum conjunctis), contineantur, quae superiorum exemplorum in nullo reperiebantur. Quae cum ita sint, hujus generis enuntiationes, in quibus auxiliaria verba sint, secernendas censeo a ceteris neque easdem „coincidentes“ recte appellari; tamen cum illis quandam eas habere cognationem concedo.

5.

Jam postquam de omnibus iis condicionibus disputavimus, quibus eadem praedicata quamquam non verbis expressa, tamen sententiis intelligi dicuntur in ann. 1, cum in altera enuntiatione vel verbum synonymum vel generalis notionis vel auxiliare inveniatur, ex exemplis in ed. III. § 109 primo loco allatis quaedam sunt reliqua. Quorum haec tria unam eandemque habent rationem: *Ambo mihi consules et universum senatum* i n t u e r i *videor, cum te, Marcelle,* i n t u e o r. *L. 25,* 6. *Quum Collatino collegae Brutus imperium* a b r o g a b a t, *poterat videri facere injuste. off. 3, 40. Ego tantum me* s c i r e *putabo, quantum ex tuis litteris* c o g n i t u m h a b e b o. *fam. 15, 20.* In his secundariarum enuntiationum verba f i n i t a,

intueor, abrogabat, cognitum habebo, coincidentia dicenda sunt cum primariarum enuntiationum infinitivis, intueri, facere injuste, scire; quae pendent a verbis sentiendi, quae dicunt grammatici. Possunt videri illa verba finita tamen, quod ad temporum formas attinet, finita primariarum enuntiationum verba sequi. Sed de his locis et aliis ejusdem generis postea accuratius disserendum erit (cf. cap. III. C.).

6.

Atque in illa annotatione 1. sic pergitur: „Wo aber die beiden Prädicate nicht eigentlich identisch sind, stehen sie doch in einem so engen Zusammenhange, dass mit der einen Handlung die andere gegeben, die eine Handlung in der anderen mit beschlossen ist, oder ihren Grund in derselben hat“. Vix intelligo, quid his verbis aliud significetur, quam quod principio paragraphi sic dictum sit: „Wenn .... die beiden Prädicate ..... so gewissermassen in einander fallen, dass die eine Handlung in der anderen mit enthalten ist“. Nam duas actiones in unum cadere vel alteram altera contineri, nonne idem est atque alteram actionem una cum altera cogitari, alteram altera includi? Atque restant etiam ex primo paragraphi loco duo exempla, quibus idem hic usus demonstretur; quae sunt haec: *Exspectationem nobis non parvam attuleras, cum scripseras causam nostram Pompejum certe suscepturum. Att. 3, 18. Hoc loco ego sumpsi quiddam de tua eloquentia. Nam tacui. Att. 13, 42.* Nam in his locis etsi nec paria verba neque synonyma neque generalia neque auxiliaria exstant, tamen in illis ipsis allatis litteris exspectatio erat allata, illa ipsa taciturnitas id fuit, quod Cicero ex Attici eloquentia sumpsit. (Quo in loco recte admonemur a scriptoribus etiam ad coordinatas, quas dicunt, enuntiationes coincidentium temporum usum pertinere.) Praeter haec exempla in annotatione illa multa adjiciuntur, quorum haud pauca ejusdem generis esse judico. Dico haec: *Cum tacent, clamant. Cat. 1, 21. Sunt quidam qui molestas amicitias faciunt, cum ipsi se contemni putant. am. 72. Herculi Deianira nocere noluit, quum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit. n. d. 3, 70. Tum, cum ex urbe Catilinam ejiciebam, reliquam conjuratorum manum simul exituram putabam. Cat. 3, 3. Quem ego cum ex urbe pellebam, hoc providebam animo. ib. 16 (de his locis cf. infra cap. II. 1. e.). Murena dum unum ascendere gradum dignitatis conatus est, venit in periculum, ne ...... Mur. 55. Adjuvere captivi, qui rapto inter tumultum ferro conglobati et ab tergo ceciderunt Poenos et fugam impe-*

dierunt. L. 24, 16. Quo enim ille (Antonius) die populo inspectante nudus, unctus, ebrius est contionatus et id egit, ut collegae diadema imponeret, eo die se non modo consulatu sed etiam libertate abdicavit. Phil. 3, 12. Quoniam grammaticus es, si hoc ζήτημα persolveris, magna me molestia liberaris. Att. 7, 3. Qui Antonium oppresserit, bellum confecerit. fam. 10, 19. Telo si primam aciem praefregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris. Just. 6, 8. Etiam unus locus est, in quo eadem subjecta intelliguntur tantum, non expressa sunt: *Quantum in altitudinem egrediebantur, magis magisque silvestria loca excipiebant. L. 40, 22* i. e. tanto magis in silvestria loca perveniebant, sive non poterant in altitudinem egredi ita, ut non simul in loca silvestria pervenirent. Et in ann. 2 ejusdem generis hoc exemplum exstat: *Quaeruntur adjutores consiliis, cum te plures mittere jubet. L. 40, 11* i. e. ipse quaerit adjutores, cum jubet. Deinde ex totius paragraphi loco tertio (ed. III. p. 244), quo de solutiore quodam coincidentiae usu agitur, huc potius referendum puto hoc exemplum: *Ad suam quandam magis ille gloriam, quam ad salutem rei publicae (exilium) sumpserat, cum unus in legem per vim latam jurare noluerat. Sest. 37.* Nam quod Metellus ille in legem jurare noluit, quid fuit aliud nisi exilium sumere? De duobus autem locis in eadem ann. 1 allatis et uno, qui exstat in eodem III. paragraphi loco, minus certum judicium est; hos dico: *Hannibal quacunque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit, neminem nisi victum dimisit. N. 23, 3. Ille ferro, quacunque ibat, viam facere. L. 3, 48. Hannibal quotiescunque cum Romanis congressus est in Italia, semper discessit superior. N. 23, 1.* Nam in his locis jam nullo modo singulae res, sed binae expressae videntur. Qui potest enim cogitari iter facere idem esse atque cum incolis confligere, vel ferro viam facere idem atque ire, vel congredi idem quod superiorem discedere? Tamen posse fieri puto, ut Nepos et Livius his locis ejus modi aliquid pronuntiare voluerint, quod nos vernacula lingua sic dicere possumus: Jeder Marsch war ein Kampf, jedes Vordringen ein gewaltsames Bahnbrechen, jeder Zusammenstoss war ein Sieg. Sic si loquimur, figurata quadam oratione usi ea, quae non per se sunt eadem, tamen eadem esse dicimus.

Restant etiam ex annotationis primae exemplis haec tria: *Delectamur, cum scribimus. fin. 1, 3. Maxima sum laetitia affectus, cum audivi consulem te factum esse. fam. 15, 7. Respiraro, si te videro. Att. 2, 24.* Acce-

dit ex ann. 2 unus locus, in quo idem in utraque enuntiatione subjectum intelligitur: *Jucundissimum mihi fuit (i. e. maxima snm laetitia affectus), quod cognovi meas tibi redditas esse litteras. fam. 12, 19.* In his locis delectationis vel laetitiae vel ejus, quae verbo „respiraro“ significatur, levationis animi causae iis enuntiationibus exprimuntur, quae conjunctionibus „cum“ vel „si“ vel „quod“ adjunguntur. Et possunt hae sensentiae ita coincidentes haberi, ut ipsi motus illi animi et eorum causae in unum cadere dicantur, ut nos vernacula lingua dicere solemus: „Das Schreiben war mir ein Vergnügen, diese Nachricht war mir eine grosse Freude“ et alia similiter.

7.

Transeamus omisso altero protinus ad tertium paragraphi locum, qui his verbis exponitur: „Etwas freier gestaltet sich die Beziehung der Coincidenz, wo temporale Conjunctionen, besonders dum und cum den Nebensatz an den Hauptsatz knüpfen. Da in diesen Conjunctionen selbst und in der Wahl gleicher Tempora schon genügend angedeutet ist, dass beide Prädicate zeitlich völlig zusammenfallen, so kann die Identität oder das Ineinanderfallen der Prädicate sich im Ausdrucke noch mehr verstecken, und auch die Identität des Subjects ist keine nothwendige Forderung mehr“. Sequuntur exempla undecim. Quibus verbis, si ea recte intelligo, hoc mihi dici videtur: in enuntiationibus temporalibus particulis conjunctis, quamvis discrepent inter se vel subjectorum vel praedicatorum vocabula, tamen fieri posse, ut res in unum cadant, res altera altera contineatur. Nam hoc et ex eo mihi effici videtur, quod verbum „im Ausdrucke“ praeter cetera typis eminet, et ex ipso nomine coincidentiae. Sed inter exempla allata praeter duo, quae supra commemoravimus p. 12, nullum est, quod quadret in hanc rationem, praeter unum hoc: *Catulus cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in ipso vos spem habituros esse dixistis. Man. 59.* Nam in his verbis etsi diversa sunt et subjecta et praedicata, tamen id ipsum, quod Quirites dixerunt, fructus fuisse dicitur a Catulo captus. Atque hoc si pluribus exemplis demonstrari possit, coincidentes sententias etiam inveniri, cum diversa sint subjecta, sane alicujus fore momenti mihi videtur. Sed ex reliquis exemplis nullum est, in quo coincidentes sententias agnoscere possim. Exempla sunt haec: *Cum Artaxerxes Aegyptio regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Atheniensibus ducem petivit. N. 11, 3. Gallo narravi, cum proxime Romae fui, quid audissem. Att. 13, 49. Non, cum in conspectu Roma fuit,*

succurrit: intra illa moenia domus ac penates mei sunt, mater, conjux liberiqne? L. 2, 40. Si hodie bella sint, quale Etruscum fuit, cum Porsenna Janiculum insedit . . . L. 4, 40. Quamdiu mihi consuli designato insidiatus es, me defendi. Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios. Quotiescunque me petisti, tibi obstiti. Cat. 1, 11. Dum praesidia ulla fuerunt, in Sullae praesidiis fuit Roscius. R. A. 126. Causas, Caesar, egi multas equidem (al. et quidem) tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum. Lig. 30. Ji, dum pari certamine res geri potuit, magnum hostium numerum pauci sustinuere. b. c. 1, 51. — Vix quemquam credo horum locorum sententias coincidentes dicendas esse judicare. Atque ipsi Lattm.-Muell. eorum tres, qui primo loco leguntur, in ed. V aliter explicaverunt, cum tempora perfecta et in primariis et in secundariis enuntiationibus absolute posita esse dixerunt (ed. V. § 170 II). Idem fortasse de quarto loco (L. 4, 40) statuendum est. In reliquis potest conjici non illam coincidentiae quidem relationem valere, sed congruentiae, quam dicunt Lattm.-Muell. (cf. ed. III. § 107). Nam ei congruentium temporum legi satisfacere videntur, ut actiones rerum simul et incipiant et desinant. Modo hunc locum spectemus: „Quamdiu mihi consuli designato insidiatus es, me defendi". Sed impedimur iis verbis, quae in altero paragr. 109 loco sic leguntur: „Die Tempp. act. perfectae können nur die Beziehung der Coincidenz mit einander eingehen". Etiam admonendum videtur in ed. V hunc paragraphi locum paulum mutatum exstare his verbis scriptum (ann. 3): „Dem Verhältnisse der Coincidenz verwandt ist der Fall, wenn zu einem Hauptsatze mit Perf. hist. ein indicativischer Temporalsatz tritt, welcher nur das zeitliche Zusammentreffen der Handlungen bezeichnen soll. Alsdann tritt der Temporalsatz auch ohne Identität der Subjecte gleichfalls in das Perf. hist." Sequuntur eorundem exemplorum aliqua et aliud unum eorum simile. His verbis igitur negantur illorum locorum sententiae vere coincidentes esse dicendae. Neque tamen congruentes eas appellari oportere conceditur, cum etiam in hac ed. V nisi inter actionis continuae tempora haec congruentiae relatio esse non posse dicatur (cf. § 106). Sed de his locis quid mihi quidem judicandum videatur, apparebit, cum de tota coincidentia quid ipse sentiam explicavero.

B.

In altero loco § 109 (ed. III) haec leguntur: „Obschon in solchen coincidenten Sätzen alle Tempora vorkommen können, so ist doch am meisten der Gebrauch der Tempp. act. perfectae in denselben zu beachten. Denn die Tempp. act. infectae können mit einander auch in der Congruenz verbunden werden, und es ist häufig von keinem Belang, in solchen zeitlich congruenten Sätzen die Beziehung der Coincidenz zu unterscheiden. Dagegen können die Tempp. act. perfectae nur die Beziehung der Coincidenz mit einander eingehen“. Ex his verbis hoc mihi colligi videtur: sententiarum tempore congruentium in aliis sola hac congruentiae ratione tempora inter se referri, in aliis ad eadem tempora et congruentiae et coincidentiae vim pertinere. Num omnes sententiae coincidentes, quae quidem infectae actionis temporibus enuntientur, etiam sint congruentes tempore, incertum relinquitur. Sed utut est, certe in iis sententiis coincidentibus, quae eaedem sint congruentes, temporum formas congruentiae lege contineri judicandum videtur, siquidem illa verba spectemus: „es ist häufig von keinem Belang, in solchen zeitlich congruenten Sätzen die Beziehung der Coincidenz zu unterscheiden“. Sed quaeritur, cujus tandem generis sit coincidentiae relatio. Nam si ea legimus, quae ante § 107 (ed. III) de relatione temporum dicuntur („der bezogene Gebrauch der Tempora . . . . zerfällt in drei Arten: A. Beziehung der Congruenz, B. Bez. der Antecedenz, C. Bez. der Coincidenz.“) coincidentia et congruentia ejusdem generis esse species diversae existimandae sunt, ut omnis bona divisio a genere debet descendere ad ejus ipsius species. Nunc vero a congruentia discernitur coincidentia ita, ut illa quidem temporum esse relatio videatur, haec alius generis alicujus. Et sane, si recordamur coincidentes sententias eas dici (§ 109 in.), in quibus subjecta sint eadem et praedicata vel eadem vel ejusdem notionis et actionum altera altera contineatur, verisimillimum videatur coincidentiam omnino non temporum esse relationem, sed sententiarum. Neque posset intelligi, cum de temporum relationibus agerent, cur sejunxerint Lattm.-Muell. coincidentiam ab congruentia, nisi hoc scriptum legeremus: „dagegen können die Tempp. act. perf. nur die Bez. der Coincidenz mit einander eingehen“. Atque omnes loci in § 109 tertia sede (ed. III) allati perfecto tempore expressi sunt. Sed ibidem haec verba legimus: „Da in diesen Conjunctionen (dum et cum) selbst und in der Wahl gleicher Tempora schon genügend an-

gedeutet ist, dass beide Prädicate zeitlich völlig zusammenfallen e. q. s." et haec in ed. V. § 108, ann. 3: „Dem Verhältnisse der Coincidenz verwandt ist der Fall, wenn zu einem Hauptsatze mit Perf. hist. ein indicativischer Temporalsatz tritt, welcher nur das zeitliche Zusammenfallen der Handlungen bezeichnen soll". Jam ego quidem non video, quid intersit inter eas actiones, quae, quod ad tempus attinet, plane altera in alteram cadant et eas, quarum tempora congruant inter sese. Nam congruentiae vis his verbis explicatur (§ 107 in.): „. . . (beide Tempora) decken einander in zeitlicher Hinsicht und sind also völlig congruent". Atqui haec duo „einander decken" et „völlig zusammenfallen" plane idem valere, testibus utor mathematicis, quorum ipsorum ex doctrina illa vocabula sumta sunt. Quid ergo obstat, quominus etiam perfectis temporibus exprimi posse statuamus sententias tempore congruentes?

At videre mihi videor, qua re adducti Lattm.-Muell. solum inter infectae sive continuae actionis tempora congruentiae relationem esse posse contenderint, inter perfecta tempora eandem intercedere posse negarint. Nam ut, quas mathematici figuras congruentes dicunt, eae extendunt se per aliquid spatii, sic illi vv. dd. temporum ea sola congruentia recte dici posse putant, quibus temporis spatii aliquid significetur, quae sunt tempp. actionis continuae, quae dicuntur. Qua in re errare mihi videntur. Nam primum quamvis apte temporum rationes illustrentur rationibus locorum, qua re quasi ante oculos nostros proponantur ea, quae intelliguntur animis, tamen cavendum est, ne ex illa disciplina in grammaticam transferamus certas aliquas quodammodo formas, quae eis, quae hac arte contineantur, non conveniant. Itaque quae tempora congruere inter sese dicenda sint, ex communi potius dicendi usu explicandum censeo, quam ex mathematicorum normis deducendum.

Deinde quod actionis continuae temporibus diuturnitas quaedam indicatur, perfectae actionis tempora carent hac notione, id ipsorum temporum quidem facit discrimen, neque vero ullum ejus rationis, qua referatur tempus ad tempus. Qua de re mihi quidem dubium non videtur, quin quaecunque actiones eodem tempore fieri dicantur, earum tempora congruentia recte vocentur, sive ea sunt imperfecta sive perfecta sive alia. Atque temporum congruentiam facillime iis enuntiationibus exprimi, quas „dum, quamdiu, quoad" conjungunt, consentaneum est. Etiam Lattm.-Muell. ubi congruentiae vim exponunt, ejus generis exemplis compluribus et in primis utuntur (ed. III.

§ 107). Atqui saepissime apud Ciceronem in talibus enuntiationibus perfecta ita posita inveniuntur, ut tempora plane congruant, neque tamen sententiae sint coincidentes. Quorum locorum nonnullis etiam similitudo quaedam est cum aliis sententiis, quae imperfectis vel futuris enuntiantur, ejus ipsius generis, quas Lattm.-Muell. dixerunt congruentes. Horum, quos invenire potui, ita componam, ut bini inter sese conferantur: *Mihi tu, tui, tua omnia maxime curae sunt et dum vivam, erunt. fam. VI, 3. Et illius (i. e. Scipionis) aerumnam, quoad vixit (sc. Scipio), et filiae solitudinem sustentavit (sc. Sestius). Sest.* 3, *7. — Neque dum eram vobiscum, animum meum videbatis. sen. 79. Quem, quamdiu afui, nemo nisi lacrimantem confectumque vidit. dom. 23, 59. — Tib. Gracchus tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. off. II, 43. Ignominia autem illa gravis tam diu in illo homine fuit, quamdiu iste in provincia mansit. Verr. II, 27, 67. — Ille erat unus timendus ex istis omnibus, sed tam diu, dum urbis moenibus continebatur. Cat. III, 10. Quoad fuit (sc. in urbe), omnibus ejus consiliis occurri atque obstiti. Cat. III, 7, 17. — Dum hominum genus erit, qui accuset eos non deerit; dum civitas erit, judicia fient. R. A. 32, 91. Dum praesidia ulla fuerunt, in Sullae praesidiis fuit. R. A. 43, 126. — Nec mirum, si ejus utebatur consilio, cujus auxilium sibi paratum putabat. Quinct. 5, 18. Quoad vos omnia pati vidit, usus est ipse incredibili patientia. Phil. X, 4, 9. — Quamdiu C. Caesaris consilia in re publica non maxime diligebatis, me quoque cum illo minus conjunctum videbatis. prov. cons. 10, 25. Nec, quamdiu inimicissimus Gabinio fui, non amicissimus mihi Pompejus fuit. Rab. Post. 12, 33. —*

Horum locorum tempora si contemplamur quibus rationibus inter sese referantur, potestne perfectorum alia esse ratio videri atque imperfectorum vel futurorum temporum? Fieri non posse puto, ut illa exempla, si quidem temporum relationes spectemus, divellantur. Praeterea perfectorum temporum congruentia demonstretur his locis: *(C. Claudius) usus est hoc Cupidine tam diu, dum forum dis immortalibus populoque Rom. habuit ornatum. Verr. IV, 3, 6. Dum vis fuit, nihil egi. Sest. 60, 127. Itaque et in re publica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas praefuit. leg. III, 2, 4. Reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit. Mil. 13, 35. Tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem. Brut. 67, 236. Tamdiu pependit in arbore socius . . ., quamdiu voluntas Apronii tulit. Verr. III, 23, 57.*

Tam diu in imperio suo classem iste praetor diligens v i d i t, *quamdiu convivium ejus flagitiosissimum* p r a e t e r v e c t a e s t. *Verr. V, 33, 86. Domo me* t e n u i, *quamdiu turbulentum tempus* f u i t. *dom. 3, 6. (Testes) tum,* c u m a c t u m e s t, *una* f u e r u n t. *Verr. II, 72, 177. Quid enim hic meus frater ab arte adjuvari* p o t u i t, *cum a Philippo interrogatus quid latraret, furem se videre* r e s p o n d i t. *de or. II, 54, 220. Non* t e n u i *lacrimas, cum illum* . . . . v i d i. *Att. II, 21, 3.* Praeterea cf. (dum:) Lig. 10, 30. Verr. 29, 75. — (quoad:) leg. III, 16, 36. Caec. 7, 19. Cael. 4, 9. Verr. I, 23, 60. Lig. 3, 7. — (quamdiu:) Brut. 79, 273. de or. III, 2, 7. fam. XIII, 50, 1. XIV, 1, 3. Verr. V, 43, 112. Cluent. 10, 30. Cat. I, 5, 11. dom. 30, 79. har. resp. 23, 49. Marc. 11, 34. — (cum:) Verr. III, 93, 216. Caec. 11, 31.

Satis multis mihi exemplis probavisse videor, saepe etiam perfectae actionis tempora congruentia inter se dicenda esse. Quod si mihi concedatur, cum congruere tempora inter sese magis non possint, quam si sententiae iis expressae sint coincidentes, hoc etiam concedi necesse est, o m n e s s e n t e n t i a s c o i n c i d e n t e s, s i t e m p o r u m r e l a t i o n e m s p e c t a m u s, c o n g r u e n t e s e s s e d i c e n d a s. Qua re cum coincidentiam negamus temporum esse relationem, efficimus, ut divisio totius generis, quo relationes temporum continentur, magis respondeat ad philosophorum praecepta. Nam si animo sevocato a loquendi usu, id ipsum per se quaerimus, quas in partes omnis temporum relatio possit dividi, non posse plures inveniri partes puto quam tres. Nam duae res aut eodem tempore agi dicuntur — tum congruere inter se verborum tempora recte dicamus; aut res diversis temporibus altera post alteram agi dicuntur, — tum antecedentia habeat suum locum; aut denique alterius actionis tempus cum alterius tempore partim idem partim ab altero diversum esse significatur, — tum eam relationum speciem agnoscamus, quam Lattm.-Muell. vocant „Incongruente Gleichzeitigkeit“ ed. III. § 107. 3. Aliam rationem, qua tempora ipsa inter sese referantur, cogitari non posse dico. Itaque omnis temporum relatio in has tres partes discedit: congruentiam, antecedentiam, aequalitatem q. d. incongruentem. Neque igitur, si omisso loquendi usu rem ipsam per se spectamus, ullus coincidentiae locus relinquitur inter relationes temporum. Sed quas enuntiationes recte coincidentes dici supra demonstravimus, earum tempora congruere inter sese dicenda esse statuimus.

Atque de hac re verissime jam judicavit G e o r g i u s I h m i u s, id quod cognovi postquam haec mihi jam fuerunt

concepta. Nam is in indice Philologico fasc. XII. a. 1885. p. 564 haec dixit: „Die Scheidung zwischen Coincidenz und Congruenz scheint für die Tempuslehre ganz gleichgültig zu sein, da zwischen beiden bezüglich des temporalen Verhältnisses kein Unterschied besteht. Wenn wir Beispiele wie *cum tacent, clamant* und *bene facis, quod manes* betrachten, so erkennen wir, dass die Coincidenz so zu sagen die materielle Congruenz ist, die zur temporalen hinzukommt". Neque tamen plane operam perdidisse mihi visus sum, cum quod ille paucis posuisset, id ego illorum vir. doct., qui hujus rationis quasi fundamenta jecerunt, singula verba et exempla persecutus accuratius demonstrassem.

Sed quamquam ex temporum relationibus coincidentiam sustulimus, tamen ex grammatica doctrina minime eam tollendam judicamus. Nam et omnem sententiarum nexum a grammaticis respici oportet neque negligendum est, necesse esse omnium coincidentium sententiarum tempora inter sese congruere. Itaque nihilominus operae pretium esse censeo anquiri, quam late pateat vis coincidentiae.

Caput II.

Genera coincidentiae explicantur.

Sententiarum igitur relationem si coincidentiam esse dicimus, qua duas idem valere sententias vel actionem alteram altera contineri significetur, quaerendum videtur, quos ad Ciceronis locos haec ratio pertineat quaeque et quam varia dicendi genera iis locis inveniantur. Omittamus autem in hac parte omnes obliquae orationis locos, cum ceteris res satis possit illustrari, ne nimia exemplorum copia oratio nostra impediatur*).

I.

Ac primum de iis locis dicendum videtur, quibus coincidentes sententiae ita exprimantur, ut binis in enuntiationibus bis idem ponatur verbum finitum, cujus generis complures leguntur loci apud Lattm.-Muell. l. l. § 109. 1. (cf. p. 5 sq.). Sed cavendum puto, ne quaedam enuntiationum genera huc referantur, quae a nostra causa sunt aliena. Nos enim vernacula lingua interdum tali modo loquimur: „Was ich geschrieben habe, das habe ich geschrieben“. At si quis tali ratione putat coincidentes sententias exprimi, eum errare censeo. Nam etsi in his eadem verba plane repetuntur, tamen repetitis verbis diversa subest sententia. Hoc enim significant: „Was ich geschrieben habe, das wird nicht geändert werden“. Minime igitur propter sententiarum congruentiam idem in utraque enuntiatione invenitur verbum finitum, sed quamquam discrepant sententiae, tamen eadem verba iterum ponuntur postulaturque, ut quid sentiat is qui loquitur, opinamur potius quam ex ipsis verbis intellegamus. Ergo in talibus enuntiationibus neque sententiarum coincidentia agnoscenda videtur neque congruentia temporum, sed nihil aliud est nisi eorundem verborum repetitio, quae fit praegnanti quam dicunt notione. Atque hujus

*) Locos attulimus ex editione Baiteri Kayseri, quae prodiit Lipsiae a. MDCCCLX sqq.

quidem generis Ciceronis in libris omnibus nullum invenitur exemplum.

Sed aliis quibusdam hujus haud dissimilibus sententiarum figuris passim usus est. Dico hos locos: *Si me tantum amas, quantum certe amas. fam. IX, 13, 3. cf. Att. II, 23, 3. Si me tanti facis, quanti certe facis. fam. XI, 16, 3. Att. XII, 37, 2. Si licuit, sicuti certe licuit. Flacc. 25, 59. Adfuit is, si modo adfuit, quem tu impulisti ... dom. 45, 118. Quid sit, quod se a me removit, si modo removit, ignoro. Att. IV, 8, 3.* Ne in horum quidem locorum ullo utriusque enuntiationis eadem est sententia, sed priores illi haec fere sibi volunt: „si me tantum amas, quantum mihi quidem est persuasum te me amare“ et „si licuit, — id quod mihi dubium non est“. In reliquis autem tales fere insunt sententiae: „quod se a me removit, — qua de re etiam dubito; adfuit is, — nisi falso adfuisse dico“. Item igitur non propter sententiarum coincidentiam bis idem sumitur verbum, sed quamquam sententiae differunt inter se, tamen praegnanti quadam notione idem verbum repetitur. Itaque ne hos quidem locos ad rem pertinere arbitror.

1.

Omnino autem sensu careat oratio, si duabus in enuntiationibus res eadem bis iisdem exprimatur verbis, nisi forte praegnanti quadam notione, ut modo diximus, tali oratione utimur. Sed ut sententia aliqua nascatur, necesse est aliqua ex parte alteram enuntiationem ab altera esse diversam. Atque hoc efficit illa coincidentiae ratio, ut quae differre dicantur verbis, tamen unum idemque esse intelligantur re ac notione. Necesse est igitur, si verbum finitum in utraque enuntiatione bis sit idem, in ceteris aliquam indicari differentiam. Quae ut ipsa in hujus generis enuntiationibus est varia, ita singulas ejus generis partes distinguemus. Conjunguntur autem hujus partis sententiae coincidentes vario modo, plerumque ita, ut altera alteri subordinetur, quod dicunt grammatici, raro ita ut coordinentur ambae. Conjunctiones inveniuntur *cum* sexies et tricies, *si* quinquies et quadragies, *relativa* pronomina simplicia ter et tricies, generalia quindecies, *particulae comparativae* sexies, *concessivae* ter, *quod* quater, *quia* semel.

a.

Atque primam eam partem dicimus, in qua eadem inveniantur verba finita, eadem subjecta, differant objecta. Ea igitur, quamvis differant verbis, re tamen congruere dicuntur. Semper autem id quod fit vel fieri fingitur, secundaria enuntiatione exprimitur, cum hoc quid aequandum sit, pri-

maria enuntiatione indicatur, ut semper secundaria enuntiatio quodammodo subjecti vicem obtineat, primaria praedicati, sive ut primaria enuntiatione judicium aliquod fiat de iis, quae secundaria fieri sint dicta (cf. p. 6).

α) Atque objecta verbis diversa rebus congruere aut ita possunt dici, ut alterum plane idem valere quod alterum dicatur vel alterum altero possit commutari, qua re alterum altero explicetur vel illustretur. Cujus generis exempla inveniuntur haec: *Verum amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. am. 7, 23* (i. e. verum amicum intueri nihil aliud est nisi exemplar aliquod intueri sui, nam ipse amicus est illud exemplar). *Maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. am. 22, 82* (scilicet verecundia est maximum ornamentum amicitiae). *Nisi aut cupiant aut metuant; quarum ambarum rerum cum medicinam pollicetur, luxuriae licentiam pollicetur. fin. II, 22, 70. Ballionem illum improbissimum et perjurissimum lenonem cum agit, agit Chaeream. Rosc. Com. 7, 20. Cum igitur proferent aliquid hujus modi: 'quoniam peperit, cum viro concubuit', inventum proferent, non expolitionem. inv. I, 40, 75. Quam* (sc. supplicationem) *qui non decrevit, plus decrevit, quam si omnis decresset triumphos. Att. VII, 1, 7. Quid emebat, cum te emebat? Flacc. 33, 83. 'Ceteris specimen esto' quod si tenemus, tenemus omnia* (ex conj. Bakii, qui addidit alterum tenemus) *leg. III, 13, 30. Si aliter statuetis, videte ne hoc vos statuatis. Caec. 16, 46. Si mens voluntasque divina idcirco consuluit hominibus, quod iis est largita rationem, iis solis consuluit, quos bona ratione donavit. de nat. III, 27, 70.* — His locis etiam hos adjungi posse puto: *Cum dico me, te, Brute, dico. or. 31, 110* (quemvis enim dicendi artis studiosum dicit Cicero). *Ille enim mihi praesidium extraordinarium dederat: cum dico mihi, senatui dico populoque Romano. Phil. XI, 8, 20* (nam consul Cicero pro ipso esse senatu populoque Romano sibi videbatur). —

β) Potest autem fieri, ut duo objecta ita congruere dicantur, ut alterum alterius pars sit. Huic generi pro certo duo sola exempla attribuere possum haec: *Philosophia cum universam aegritudinem sustulit, sustulit etiam, si quis error, alicunde exstitit, si paupertas momordit* cett. (ex conj. Keilii) *tusc. III, 34, 82*, i. e. cum aegritudinem sustulit, sustulit etiam errorem, paupertatem, cetera, quae sunt partes aegritudinis. *Si enim rationem hominibus di dederunt, malitiam dederunt; est enim malitia versuta et fallax ratio nocendi. de nat. III, 30, 75.*

γ) Etiam alia ratione duae sententiae, quae pari verbo finito, eodem subjecto, diversis proferantur objectis, congruere inter sese possunt, cum objectum alterum neque per se idem valet quod alterum, neque alterius pars est, ita tamen cohaeret quasi cum altero, ut alterum vel necessario ex altero efficiatur vel sine altero non possit cogitari. Cujus generis loci sunt hi: *Qui eloquentiae verae dat operam, dat prudentiae. Brut. 6, 23* (antecedunt haec: „dicere enim bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit“). *Augeamus sane suspitionem tuam: simul enim augebimus diligentiam. Marc. 7, 22* (i. e. cum suspitionem tuam augebimus, augebimus diligentiam). *Quam* (sc. tribuniciam potestatem) *cum poscebat* (sc. populus Romanus) ... *revera judicia poscebat. Verr. act. I, 15, 44. Ut potius ab hoc quam ab illo accusetur, id peto. ... Quod cum dederis, sine ullo tuo periculo, sine infamia illud dederis, ut is absolvatur, cujus ego causa laboro. Caecil. 7, 23. Qui aut visum aut adsensum tollit, is omnem actionem tollit e vita. ac. pr. II, 12, 39* (antecedunt haec: *omnino ante videri aliquid quam agamus necesse est, eique quod visum est adsentiatur*). *Tolle hanc opinionem* (sc. mortuos orbatos esse vitae commodis), *luctum sustuleris. tusc. I. 13, 30* (i. e. si hanc opinionem sustuleris, luctum sustuleris). *Hoc cum infirmat tollitque Philo, judicium tollit incogniti et cogniti. ac. pr. II, 6, 13. Cum praesertim ex tua oratione quodcunque tibi peteres, huic peteres. Rosc. Com. 18, 54* (appellatur enim Fannius, cui societas erat cum Roscio).

δ) Neque vero ea sola objecta huc pertinent, quae singulis verbis, sed etiam quae accusativis cum infinitivis vel totis enuntiationibus exprimantur, qualia in his locis invenimus: *Cum igitur nosce te dicit, hoc dicit: nosce animum tuum. tusc. I, 22, 52. Cum lex assiduo vindicem assiduum esse jubet, locupletem jubet locupleti; locuples enim est assiduus. top. 2, 10. Quotiens eorum quippiam dices, totiens unum dices illud, temere hunc pecuniam regi credidisse. Rab. Post. 9, 25. Cum enim miserum esse dicis, tum eum, qui non sit, dicis esse. tusc. I, 6, 12. Si concedimus intelligentes esse deos, concedimus etiam providentes. de. nat. II, 30, 77. Qui postulat, ut a quo loco dejectus est, ... eo restituatur, hoc postulat, ut in eum ipsum locum restituatur. Caec. 30, 88. De nobis, quos in re publica tecum simul esse voluisti, quotiens cogitabis, totiens .... de singulari sapientia cogitabis. Marc. 6, 9. Sapientem ... voluptatem petere si dicemus, mellis causa dicemus tanta molitum. fin. II, 34, 112. Si qualis sit animus ipse animus nesciet, dic quaeso, ne esse quidem se sciet, ne moveri quidem*

se? tusc. I, 22, 55. Sentit igitur animus se moveri: quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua non aliena moveri. ib. 23, 55. Qua (sc. gratia) *cum carere deum vultis, neminem deo nec deum nec hominem carum, neminem ab eo amari, neminem diligi vultis. de. nat. I, 43, 121. (Fratris miseri negotium), quod si sciam cujus modi sit, sciam quid agendum mihi sit. Att. III, 9, 3. Velim ut tibi amicus sit: hoc cum tibi opto, opto ut beatus sit. ib. X, 16, 1. Cum scribit se lege Hieronica vendidisse, quid scribit? Verr. III, 53, 123. Contra praecepta (exordium) est, quod nihil eorum efficit, quorum causa de exordiis praecepta traduntur, hoc est, quod eum qui audit neque benevolum neque attentum neque docilem efficit. inv. I, 18, 26.*

b.

Denique in eandem hanc partem cadunt ii loci, in quibus non bina objecta ut supra quasi comparentur, sed, ubi enuntiatione conditionali (vel ejus simili, quae a generalibus pronominibus incipiat) aliquid posse fieri sit dictum, primaria enuntiatione iisdem fere verbis repetitis illud ad quem pertineat exprimatur superaddito dativo objecti. Itaque in his quoque locis singulis singulae aguntur res, differt tamen primaria quaeque ab secundaria sententia una sede, quam dativus obtinet. Inveni haec exempla: *Apud quem quidquid valebo vel auctoritate vel gratia, valebo tibi. fam. VI, 6, 13. Sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. fam. II, 18,* 3. *Si est leve, homini gravi leve est. Sest. 54, 115. Quidquid erit* (sc. pantherarum), *tibi erit. fam. II, 11, 2, Huc si quid accesserit, non tam mihi quam vobis reique publicae accesserit. Phil. I, 15, 38. Mihi accidit, si quid* (sc. mali) *accidit. am. 3, 10.*

2.

Alteram partem ejus generis, in quo bis idem inveniatur verbum finitum, eam esse volumus, in qua differant subjecta. Facile in hac parte easdem formas discerneremus, quas in superiore disjunximus, nisi propter minorem exemplorum numerum minus multas formas statuere mallemus, praesertim cum superioris partis formas quemvis putemus in hac parte sua sponte recogniturum. Bipartito igitur hanc partem placet distribui.

a.

Nam alii sunt loci, in quibus passivi generis sint verba finita. Horum subjecta etsi verbis sunt diversa, re tamen intelliguntur eadem; ac si in activi generis formas mutamus tales enuntiationes, prius illud genus exoritur, in quo differant objecta. Sunt igitur hi loci ejus generis, de quo L.-M. III. § 109.

annot. 2 hoc dicunt: „Die Identität der Subjecte versteckt sich mitunter“. Atque in altera tantum sententia passivi generis verbum invenitur uno in hoc loco: *Si qua res illum diem* (sc. judicii) *aut auspiciis aut excusatione sustulit, tota causa judiciumque sublatum est. dom. 17, 45.* In hoc igitur loco objecto, quod est „illum diem“ respondet alterius enuntiationis subjectum, „tota causa judiciumque“. Plerumque vero in utraque enuntiatione passivi generis est verbum finitum. *Cum igitur praecipitur, ut nobismet ipsis imperemus, hoc praecipitur, ut ratio coerceat temeritatem. tusc. II, 21, 47. Nec vero, cujus virtus moresque laudandi sunt, ejus non laudanda vita est. parad. II, 19. Id cum impetrabatur (sc. ut ab aratoribus ne amplius in jugera singula quam terna medimna exigeret), hoc videlicet impetrabatur, ut pro singulis decumis ternas decumas dare liceret. Verr. III, 48, 115* (de re cf. ib. § 112). *Dejicior ego, inquis, si quis meorum dejicitur omnino. Caec. 13, 37, cf. ib. verba quidem ipsa si sequi volumus, quo modo tu dejiceris, cum servus tuus dejicitur? Cum lex abrogatur, illud ipsum abrogatur, quo modo eam abrogari oporteat. Att. III, 23, 2. Si enim belli nomen tolletur, municipiorum studia tollentur. Phil. VIII, 2, 4. Ea (sc. fundamenta justitiae) cum tempore commutantur, commutatur officium. off. I, 10, 31.* — Accedunt nonnulli loci, in quibus plane ejusdem generis sententiae ita exprimuntur, ut ablativi cum participiis ponantur pro enuntiationibus secundariis. Dico hos locos: *Hac extispicum divinatione sublata omnis haruspicina sublata est. div. II, 18, 42. Sublata igitur aegritudine sublatus est metus. tusc. IV, 5, 8. Hoc enim (sc. summo bono) constituto in philosophia constituta sunt omnia. fin. V, 6, 15. Nec vero .... superstitione tollenda religio tollitur. div. II, 72, 148. Aegritudine autem sublata ... quodam modo etiam paupertatis malum tollitur. tusc. IV, 27, 59. Sublata enim benevolentia amicitiae nomen tollitur. am. 5, 19. Si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem natura adjunctio, qua sublata vitae societas tollitur. rep. III, 27, 39* (cf. eadem verba Att. VII, 2, 4).

b.

Sed aliis in locis in utraque enuntiatione activi generis legitur verbum finitum. In his non solum verbis scribi, sed etiam intelligi statuendum est subjecta diversa, quae tamen re ac sententia idem valere vult is qui loquitur. Id ipsum igitur quo differant duae sententiae coincidentes, in his locis positum est in subjectis. Hujus generis sunt haec exempla:

Ad ea si voluptas accesserit, unum aliquod accesserit commodum corporis. fin. V, 16, 45. Si me vilicus tuus solus dejecisset, non familia dejecisset, ut opinor, sed aliquis de familia. Caec. 19, 55. Habet populus, ad quos gubernacula rei publicae deferat: qui ubicunque terrarum sunt, ibi omne est rei publicae praesidium vel potius ipsa res publica. Phil. II, 44, 113. Si quando erit civitas, erit profecto nobis locus. fam II, 16, 6. Qui (sc. motus vel calor) quamdiu remanet in nobis, tam diu sensus et vita remanet. de. nat. II, 9, 23. Si ista (sc. aegritudo) perturbare animum sapientis non potest, nulla (sc. perturbatio) poterit. tusc. IV, 5, 8. — Neque aliter de hoc loco judico: *Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. tusc. I, 22, 52.* Nam etsi res, quae agitur, eadem est in utraque enuntiatione, tamen is qui agit alio verbo in enuntiatione primaria, alio in secundaria exprimitur. Haec duo autem comparantur inter se. Paulum differt hoc exemplum, in quo verbum finitum in primaria enuntiatione activa forma, in secundaria passiva pronuntiatur: *Si fides Saturnino data est, ... non eam C. Rabirius, sed C. Marius dedit. Rab. 10, 28.* — Videmus igitur non recte L.-M. statuisse subjecta enuntiationum coincidentium eadem vel dici vel intelligi debere (cf. praesertim ed. V, § 108. not. 1), sed posse in enuntiationibus vere coincidentibus etiam id ipsum, quo differant binae enuntiationes, contineri subjectis.

3.

Tertia ejusdem generis parte ii loci continentur, in quibus adverbiis differunt sententiae coincidentes. Semper in his locis primariarum sententiarum eadem inveniuntur subjecta ac secundariarum; reliquae enuntiationum partes alteri tantum sententiae addi solent, sensu vero etiam ad alteram pertinent.

a.

Exprimuntur autem sententiae plerumque ita, ut quae secundaria enuntiatione vel fieri vel posse fieri dicantur, ea vel quo modo vel qua de re vel quo loco fiant, vel horum simile aliquid indicetur enuntiatione primaria. Qua re in his quoque locis primaria quaque enuntiatione judicium fit vel praedicatur aliquid de ea re, quae secundaria dicitur, velut in hoc loco: *Quod mihi praecipis, ut caveam . . ., et sapienter et amicissime praecipis. fam. XI, 21, 4* haec fere inest sententia: „praeceptum tuum et sapientis et amicissimi est“.

α) Atque exemplorum copiam ita disposuimus, ut primo loco ea afferremus, in quibus propriis adverbiis (maxime ex ad-

jectivis deductis) sententiae differunt: *Quod si in hoc erro, libenter erro. sen. 23, 85. Quidquid volt, valde volt. Att. XIV, 1, 2. Is qui dedit, amice dedit. de. nat. III, 28, 70.* (cf. supra fam. XI, 21, 4.) *Ubicunque hoc factum est, improbe factum est. Verr. III, 93, 217. Peccata, quia discrepant, aeque discrepant. fin. IV, 27, 75. Timeo, ne C. Verres .... omnia, quae fecit, impune fecerit. Verr. V, 1, 3. Sic si diceretur „Morietur Scipio", vere diceretur. fat. 9, 18. Quodcunque diceret, honestius diceret, quam si ... Cluent. 31, 86. Suum putat esse judicium et recte putat: Verr. I, 5, 13* (i. e. cum suum putat judicium, recte putat). *Quod et fecimus et, ut spero, non frustra fecimus. Lig. 5, 14* (i. e. quod cum fecimus, non frustra, ut spero, fecimus).

β) Sequuntur complures loci, in quibus substantivorum casus obliqui partim additis participiis adverbiorum loco sint: *Si quis furem occiderit, injuria occiderit. Tull. 52. Laesisset rem publicam, sed jure laesisset* (i. e. jure laesisset rem p., si laesisset). *Sest. 36, 78. Laudas Milonem et jure laudas* (i. e. cum laudas M., jure laudas). *Sest. 40, 86. Neque ego, quae ad te de illo scripsi, scripsi meo judicio. Q. fr. I, 2, 2. Nunc quae scribo, scribo ex opinione hominum. fam. XII, 4, 2. Cum evenerint, fato evenerint. fat. 11, 26. Id quod fecit, impetu quodam animi potius quam cogitatione fecit. inv. II, 5, 17. Ne vinolenti quidem quae faciunt, eadem adprobatione faciunt qua sobrii. Ac. pr. II, 17, 52. Eos qui erant antea dati (sc. a te), utriusque dederas voluntate. Verr. II, 18, 44. Feci summa cum gravitate ... quae feci. Q. fr. III, 9, 1. Id quod dixit, quanto cum pudore, quo tremore et pallore dixit. Flacc. 4, 10. Bello Punico, quidquid potuit Capua, potuit ipsa per sese. leg. agr. I, 7, 20. Sed ut potuerint (sc. judicare), potuerunt omnibus rebus auditis. Ac. pr. II, 3, 9. Fecit me mehercule invito et multum repugnante, sed tamen fecit* (i. e. quod cum fecit, me invito fecit). *Cael. 31, 76. Apud me si quid erit ejus modi, me imprudente erit et invito. Att. I, 19, 10. Cum majores ita constituerint, ut, qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret. Quinct. 9, 33. Apud eum ego sic Ephesi fui, quotiescunque fui, tamquam domi meae. fam. XIII, 69, 1. Quamdiu vixit, vixit in luctu. tusc. III, 31, 75. M. Piso, quidquid habuit, habuit ex disciplina. Brut. 67, 230 (cf. 77, 268). Ne sint haec in te dicta, quae dixi. Cael. 20, 50. Cum tabella vobis dabitur, judices, non de Flacco dabitur solum. Flacc. 39, 99. Quod cum dico, de toto genere dico. Att. XIV, 6, 1. Ego te, quaecunque rogabo, de te ipso rogabo. Vat. 5, 13 (cf. locum incer-*

tum Rosc. Am. 41, 120). — Quae ad te aliqua monitione aut objurgatione scripsi, scripsi propter diligentiam cautionis meae. Q. fr. I, 2, 4. Omne igitur quod vivit, ... id vivit propter inclusum in eo calorem. de. nat. II, 9, 24. Sin ea, quae ante gesseram, conservandae civitatis causa gessissem. post. red. II, 1, 1. Ego quod facio, ... amicitiae dignitatisque Murenae gratia facio. Mur. 37, 78. Si quid possumus, ex eo possumus, quod . . . Mil. 8, 21. In quo etiamsi peccat, magis ineptiis quam improbitate peccat. fam. XIII, 1, 4. Cum, quidquid peccetur, perturbatione peccetur rationis atque ordinis. parad. 3, 26. Omnia, quae fiunt, causis fiunt antegressis. fat. 10, 21.

γ) Denique quidam sunt loci, in quibus aut adverbia „tum, non secus, ita" enuntiationibus explicantur, aut ipsae sententiae finales pro adverbiis sint, quibus discrimen sententiarum fiat: *Si fuit in re publica tempus ullum, cum . . ., tum profecto fuit, cum patrocinium pacis exclusum est. Brut. 2, 7. — Ea quae dixi, non secus dixi, quam si ejus frater essem. Scaur. 16, 37. Illud ego, quod in causa Curiana Scaevolae dixi, non dixi secus ac sentiebam. de or. II, 6, 24. Quod si qui probabit, ita probabit, ut . . . de or. II, 38, 159. Injustitiam et imtemperantiam cum dicimus esse fugienda, non ita dicimus, ut . . . fin. III, 11, 39. Nos cum dicimus natura constare administrarique mundum, non ita dicimus, ut . . . de. nat. II, 32, 82. Quod de re publica sensit, ita sensit, ut . . . Verr. I, 14, 37. Quod legem de ambitu tuli, certe ita tuli, ut . . . Mur. 3, 5. Cum autem „eo" restitui jubet, ita jubet, ut . . . Caec. 30, 88. — Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non sunt in potestate mentis. tusc. III, 5, 11. Iste omnia quae requisivit, non ut conservaret, verum ut asportaret requisivit. Verr. IV, 58, 131. Atque haec sicubi facta sunt, facta sunt (add. ed. Cratand.) ut homines populares . . . . exilio levarentur. Verr. V, 6, 13.*

b.

Restant exempla septendecim, in quibus bina adverbia inveniantur, quae alterum in primaria, alterum in secundaria enuntiatione positum respondeant inter sese, ut et differant sententiae his adverbiis, et ea ipsa idem valere sententia quodammodo dicantur: *Si vi dejeci M. Claudium, dolo malo dejeci, in vi enim dolus inest. Tull. 30. Si aliter judicari dicunt oportere, male judicari oportere dicunt. Caec. 24, 68. Quod enim jure fit, profecto juste fit. rep. III. frgm. Aug. c. d. XIX, 21. Cum sine causa animum dicimus moveri,*

non omnino sine causa dicimus. fat. 11, 24. Gabinius illud, quoquo consilio fecit, fecit certe suo. Rab. Post. 8, 21. Numquid est causae, quin, si longe aliter possedit, quam praetor edixit, iste ex edicto non possederit? Quinct. 27, 84. Ut enim aeque doleamus, cum corpore dolemus. fin. I, 17, 55. Quod etiamsi palam in defendendo non dicet Hortensius, tamen ita dicet, ut vos id suspicari et cogitare possitis. Verr. III, 96, 223. Quod me in forum vocas, eo vocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam. Att. XII, 21, 5. Cum in portum dico, judices . . . in urbem dico atque in urbis intimam partem venisse piratas. Verr. V, 37, 96. Cum in Italiam venerint, domum statim venerint. Att. XI, 7, 4. Erit enim mecum, si tecum erit. fin. V, 28, 86. Si qui meam familiam de meo fundo dejecerit, ex eo me loco dejecerit. Caec. 30, 87 (in hoc loco non solum adverbia, sed differunt etiam objecta). *Cum tibi de Curtilio scripsi Sextilianoque fundo, scripsi de Censorino, de Messalla, de Planco, de Postumo, de genere toto. Att. XIV, 10, 2. Cum de causa dixero, in qua inest propositum, de utroque dixero. part. or. 3, 9.* — *Ex his igitur (sc. bestiolis, quae unum diem vivunt), hora octava quae mortua est, provecta aetate mortua est. tusc. I, 39, 94.*

4.

Quarta pars est reliqua, in qua sententiarum differentiae indicantur nominibus, vel adjectivis vel participiis vel substantivis, quae praedicatorum locos obtinent. Quorum in duobus participia comparantur cum adverbiis. Dico haec: *Satis te mature videro, si plane confirmatum videro. fam. XVI, 4, 1. Quid? cum jam rebus transactis et praeteritis orationes scribimus, num irati scribimus? tusc. IV, 25, 55.* In reliquis illa nomina, quibus differentiae exprimantur, im primariis tantum sententiis exstant. *Nunc si quis (sc. casus) erit, erit voluntarius. Phil. VI, 7, 19. Quo in bello si fuit error, communis ei fuit cum senatu. Phil. XI, 13, 34. Charybdim dico? quae si fuit, animal unum fuit. Phil. II, 27, 67. Quaecunque mens illa fuit, Gabinii fuit. Rab. Post. 8, 21. Cujus (sc. locutionis Latinae) penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiae, sed quasi longae consuetudinis. Brut. 74, 258. Si quid fecimus, certe irati non fecimus. tusc. IV, 23, 52. Coactus dicam, si quid forte dicam. Tull. 5. Omnia, quae dico de Plancio, dico expertus in nobis. Planc. 9, 22.* Subjecta in his omnibus eadem secundariarum atque primariarum enuntiationum inveniuntur. Similitudo quaedam est horum locorum cum iis

quos p. 24. b. attulimus, velut: *Quidquid erit, tibi erit. fam. II, 11, 2. Mihi accidit, si quid accidit. am. 3, 10.*

II.

Toti autem huic generi, in quo bis eadem inveniuntur verba finita, proximum est illud, in quo verba sunt vi ac notione paria, quae synonyma dicunt grammatici. Hoc in genere plane eadem, quae in superiore genere, partes discernendae sunt. Conjunguntur enuntiationes *pronominibus relativis* vicies septies, *generalibus* bis, conjunctionibus *cum* quater et tricies, *si* ter et vicies, *quod* quinquies, *dum* quater, *quamdiu* semel, coordinantur sententiae quinquies.

1.

Primam igitur eam partem ponimus, qua objectis differunt sententiae.

a.

Atque primum eos locos afferemus, in quibus singula nomina sint objecta, attributis passim aucta. *Quae vitia qui fugerit, ... is omnia fere vitia vitaverit. or. 69, 231. Omnia tu Dejotaro tribuisti, cum et ipsi et filio nomen regium concessisti. Dej. 13, 36. Quam (sc. vitam) si eripuisset, multos uno dolore dolores animi atque corporis et omnes scelerum poenas ademisset. Cat. IV, 4, 8. Solum vertunt, hoc est sedem ac locum mutant. Caec. 34, 100. Quam (sc. fidem) qui laedit, oppugnat omnium commune praesidium. Rosc. am. 38, 111. Si id, quo nititur adversariorum causa, subduxerit, omnem illam vim et acrimoniam lenierit ac diluerit. inv. II, 48, 143. Cui cum imperium dabamus, eodem tempore etiam spem ejus nominis (sc. imperatoris) deferebamus. Phil. XIV, 10, 28. Quod abstulit sibi, non tibi exegit. Rosc. Com. 18, 53.*

b.

Sequuntur plures loci, in quibus aut in utrisque aut in alteris enuntiationibus infinitivi aut accusativi cum infinitivis aut totae enuntiationes objectorum in loco sint posita. *Cum mundo negas quicquam esse melius, quid dicis melius? de. nat. III, 8, 21. Cum idem . . . . negat esse quicquam sempiternum, nonne deum omnino . . . . tollit? de. nat. I, 12, 29. Coepi secus agere atque initio dixeram, — negaram enim hanc primam partem egere oratione. de nat. II, 9, 23* (i. e. secus me acturum initio dixeram, cum negaram . . .). *Si quis corrigere aliquid volet, . . . id quod fieri non potuerit, desiderabit. de. nat. II, 34, 87. Quod vero te, L. Domiti, huic quae-*

stioni ***p r a e e s s e*** *maxime voluit, nihil quaesivit nisi justitiam cett. Mil. 8, 22. Dum hujus definitiones labefactare volt, conatus est clarissimis rebus tenebras obducere. Ac. pr. II, 6, 16. Cum vim, quae esset in sensibus, explicabamus, simul illud aperiebatur, comprehendi multa et percipi sensibus. Ac. pr. II, 12, 37. Hoc nihil esse fateris: qua in re primum illud concedis . . . Caec. 33, 96 (i. e. hoc nihil esse cum fateris, primum illud concedis). Cum hoc confiteris, id te admisisse concedis. Quinct. 26, 81. Si enim dicent ea, de quibus disserent, se dilucide perspicere . . ., comprendere ea se fatebuntur. Ac. pr. II, 14, 44. Cum te obstitisse et reppulisse dicis, certe hunc voluisse (sc. accedere) concedis. Caec. 17, 48. Quid? tu cum pacem esse cupiebas, idne agebas, ut . . .? Lig. 6, 18. Tu, dum tuas injurias per te, . . . persequi conaris, id agis ut ceterorum quoque injuriae sint impunitae. Caecil. 16, 53. Majus quiddam videbam, cum censebam oratorem . . . nullius ornamenti expertem esse oportere. de or. I, 62, 264. Cum enim tuto haberi senatum sine praesidio non posse judicavistis, tum statuistis etiam intra muros Antonii scelus audaciamque versari. Phil. III, 5, 13. Sin autem vim sine caede . . . nullam intellegetis, statuetis homines possessionis cupidiores quam vitae esse oportere. Caec. 16, 47. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat deum, qui unde ortus sit, quasi recordetur. leg. I, 8, 25. Qui autem . . . moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant. fin. 1, 1, 2, Quem (sc. exitum) . . . M. Antonius jam tum timebat, cum tantum instare malorum suspicabatur. fam. VI, 2, 2. At in hoc genere pueri apud magistros exercentur omnes, cum in ejus modi causis alias scriptum alias aequitatem defendere docentur. de or. I, 57, 244. Quam diem . . in cautione viderunt, cum ita caverent „si post Kalendas Jan. in consilium iretur“. Verr. I, 11, 31. Te hesterno pro testimonio esse mentitum, . . . imprudens indicasti, qui et T. Claudium tecum communicasse et . . . . dixeris. Vatin. 1, 3. Quae iste in provincia palam dictitabat, cum ea . . . tua se fiducia facere dicebat. Verr. V, 68, 176. Hoc cum scribit (sc. aratorum esse penuriam), illud ostendit, dejectos, fortunis omnibus expulsos esse populi Romani socios atque amicos. Verr. III, 55, 127. —*

c.

Deinde aliquot loci enumerandi videntur, in quibus in alteris enuntiationibus non singula sed **p l u r a o b j e c t a** vel **o b j e c t a c u m a d v e r b i i s** inveniantur, quibus in alteris vel plura vel singula objecta vel objecta cum adverbiis respondeant: ***V i r t u t u m e x p e r t i b u s*** *si* ***d i c e n d i c o p i a m*** *tradi-*

derimus, . . . furentibus quaedam arma dederimus. de or. III, 14, 55. Quam (sc. salutem) cum utrisque his dederis, tres fratres optimos et integerrimos non solum sibi ipsos . . ., sed etiam rei publicae condonaveris. Lig. 12, 36. Qui ab illo abducit exercitum, . . . praesidium firmissimum adimit rei publicae. Phil. X, 4, 9. Si tibi unum hoc detrahi potest, . . ., permultum erit ex maerore tuo deminutum. fam. V, 16, 5. Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cum [in add. Halm.] dis immortalibus et opem et gratiam sustulit. de. nat. I, 43, 121. Quod longe Aristoteli videtur secus (i. e. qua de re A. longe secus sentit), qui judicat heroum numerum grandiorem (sc. esse), quam desideret soluta oratio. Or. 57, 192. Nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis et malitia, laudem adeptus est. off. I, 19, 62. Is, qui patria potestate tribuniciam potestatem infirmat, minuit is majestatem. inv. II, 17, 52. Si quis Phidiae clipeum dissolverit, conlocationis universam speciem sustulerit. or. 71, 234. Vertit stilum in tabulis suis, quo facto causam omnem evertit suam. Verr. II, 41, 101. (qua in sententia, quippe cujus coordinatae sint enuntiationes, nihil aliud continetur nisi hoc: „cum vertit stilum in t., causam omnem evertit“.) *Omnis res, quae habet in se positam in dictione ac disceptatione aliquam controversiam, aut facti aut nominis aut generis aut actionis continet quaestionem. inv. I, 8, 10.*

d.

Denique duo sunt loci, in quibus alteris tantum enuntiationibus objecta adjiciuntur, quibus discrimina efficiantur sententiarum: *Non, quod tum abstulit, soli sibi exegit? Rosc. Com. 17, 53. Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret . . . Caecil. 5, 19.*

2.

Ad eam vero partem, in qua subjectis differunt sententiae, pauca hujus generis exempla pertinent. Sed haec omnia fere ita sunt conformata, ut activi generis verbum finitum exstet in utraque enuntiatione. Qua re fit, ut ne intellegantur quidem eadem subjecta, sed proprie differant subjecta; quamquam propter sententiarum coincidentiam bina idem quodammodo valere dicuntur (cf. p. 25. b.). Exempla sunt haec: *Quorum quamdiu mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi studiumque vixit. de or. II, 23, 94. In his si qui erraverunt, non deorum natura, sed hominum conjectura peccavit. de. nat. II, 4, 12. Quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de se ipso loquitur Euripides. tusc. III, 14, 30. Provincia accusat. cum is agit causam,*

quem sibi illa ... actorem causae totius adoptavit. Caecil. 16, 54. (de hoc loco cf. p. 6). — Non multum differunt ab his duo loci, in quibus subjecta respondeant objectis, cum actionum alterae activi alterae passivi sint generis: *Quid facit causam? quod rei publicae causa (sc. interfecit). Hoc tolle, causa non erit. de or. II, 30, 132* (i. e. hoc si sustuleris, causa erit sublata). *Ego vero si tum illorum impiorum ferro ac manu concidissem, in perpetuum res publica civile praesidium salutis suae perdidisset; quin etiam si me vis aliqua morbi . . consumpsisset, tamen auxilia posteritatis essent imminuta. Planc. 37, 90.*

3.

Venimus ad eam partem, in qua differentiae sententiarum continentur adverbiis. Tres inveniuntur loci, in quibus bina adverbia inter se respondent. *Hoc planius egissem, si ita narrassem . . . Verr. I, 10, 27. Loco ille motus est, cum est ex urbe expulsus. Cat. II, 1, 1. Quacunque enim ingredimur, in aliqua historia vestigium ponimus. fin. V, 2, 5.* Praeclarum etiam exemplum ejusdem generis est versus ex vetere poëta allatus a Cic. *de or. III, 39, 150. Quandoquidem is se circumvestit dictis, saepit se dolo.* In reliquis exemplis septem adverbia primariis tantum enuntiationibus adduntur: *Quod ad me de re publica scribis, disputas tu quidem et amanter et prudenter. Att. I, 20, 2. Narrationem quod jubent veri similem esse . . ., recte nos admonent. de or. II, 19, 83. Sin autem acutum, prudens et idem sincerum . . . genus orationis probant . . ., recte laudant. Brut. 84, 291. Bene praecipiunt, qui vetant quicquam agere, quod . . . off. I, 9, 30. Quod vero actoris jubeo esse fraudem, id totum dixi ex Crassi . . . sententia. leg. III, 19, 42. Quae omnia etiam si voluntate Dolabellae fiebant, per istum tamen omnia gerebantur. Verr. I, 38, 95. Cum vas inane dicimus, non ita loquimur ut physici. fat. 11, 24.*

4.

Quattuor sunt exempla, in quibus differunt sententiae nominibus, quae plerumque praedicativa q. d. notione adjiciuntur. Sunt haec: *Mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, ne recusanti quidem evenerit, non modo non repugnanti. parad. II, 17. Eas (sc. provincias) ita partas habent ei, qui nunc obtinent, ut . . . prov. cons. 2, 3. Quos qui leviore nomine appellant, percussores vocant. Rosc. Am. 33, 93. Cum di immortales monent de optimatium discordia, de clarissimorum et optime meritorum civium dissensione praedicunt. har. resp. 25, 53.*

III.

T e r t i u m g e n u s sententiarum coincidentium id dicimus, in quo primaria enuntiatio ita efficiatur, ut secundaria sententia tota comprehendatur uno v e r b o f a c i e n d i, cui adjungatur adverbium aliquod (velut bene, male, amice, commode, injuste alia) vel neutrum alicujus pronominis vel adjectivi ut objectum (velut gratum, magnum, nihil, quid, alia). Hoc igitur adverbio vel neutro primariae enuntiationi addito differunt sententiae hujus generis. Faciendi tamen verbum ipsum interdum omittitur. Atque in hoc quoque genere id quod fit, factum futurumve est, secundaria exprimitur enuntiatione, de hac re vero quid judicandum sit, primaria enuntiatione praedicatur, ita tamen ut saepius antecedat primaria, sequatur secundaria enuntiatio.

Subjecta in hoc genere semper sunt vel intelliguntur eadem exceptis paucis locis, in quibus impersonalia verba sunt, velut fit, accidit, contingit. Conjunguntur sententiae conjunctione *si* quinquies et sexagies, *quod* tricies, *cum* undecies, *pronomine relativo* simplici quindecies, generali bis, particulis *quoniam*, *dum*, *quam* singulis semel; duodecim sunt exempla, in quibus coordinantur sententiae; quas tamen sententias si subordinemus, plane eaedem formae nascantur, quas reliquae sententiae habeant conjunctionibus conjunctae.

1.

In enumerandis locis eos primos afferam, in quibus faciendi verbo a d j i c i a t u r a d v e r b i u m, dispositos ex conjunctionum genere. *P e r b e l l e feceris, s i ad nos veneris. Att. IV, 4b, 1. Quod si iste Italiam relinquet, faciet omnino m a l e. ib. IX, 10, 4. Feceris igitur c o m m o d e mihique gratum, si me de his rebus . . . feceris certiorem. ib. X, 3 (cf. ib. XIII, 21, 4. leg. ag. III, 1, 1). S a p i e n t i u s faceres, si non curares. fam. VI, 19, 2 (cf. ib. III, 10, 1. X, 27, 2). Prudentissime facies, si illius pietatem . . . tuam esse . . . ducas. fam. V, 17, 4. Ne quid s t u l t e facias, si ea defendes, quae . . . fam. II, 7, 1 (cf. Phil. XIV, 7, 18). I n s c i e n t e r facias, si ullam praetermittas. top. 8, 33. Si . . . tabellarios ad te cum inanibus epistolis mitterem, facerem i n e p t e. Att. VIII, 14, 1. I m p i e faciat, si deos esse neget. de. nat. II, 16, 44 (cf. Mur. 35, 73). I m p r o b e feceris, nisi monueris ne adsidat. fin. II, 18, 59 (cf. Mur. 3, 5. off. III, 13, 54). Vereor ne s u b a d r o g a n t e r facias, si dixeris . . . Ac. pr. II, 36, 114. Vereor ne t u r p i t e r facerem, si . . . hominem defenderem. Planc. 30, 72.*

Si quid ab homine . . . detraxeris, inhumane feceris. off. III, 6, 30. Facis injuste, Laeli, si putas nostro periculo vivere tuos contubernales. Flacc. 17, 41. Petulanter facimus, si matrem familiam . . . nominamus. Caec. 13, 32. Si tibi stultus esse videor, qui sperem, facio tuo jussu. Att. III, 14, 1. Si vero molita quidpiam est (sc. improbitas), quamvis occulte fecerit, nunquam tamen e. q. s. fin. I, 16, 50 (quo in loco haec enuntiatio „si molita est“ subordinanda est huic „quamvis occulte fecerit“, ut haec subsit sententia: „si quid molita est, occulte fecit“).

Bene facis, quod me adjuvas. fin. III, 4, 16 (cf. Att. VII, 3, 3. 7, 1). Quod reliquos coheredes convenisti, plane bene (sc. fecisti). Att. XIII, 6, 2. Quod cum Cosiano egisti, optime (sc. fecisti). Att. XV, 29, 1. Facis tu quidem fraterne, quod me hortaris. Q. fr. II, 15, 2. Quod me hortaris . . ., facis amice. Att. VIII, 2, 2 (cf. am. 2, 9). Fecit humaniter Licinius, quod ad me . . . venit. Q. fr. II, 1, 1 (cf. Att. XV, 27, 1). Tu vero sapienter (sc. fecisti) . . ., quod manus dedisti. Att. XVI, 3, 1. Quod litteras . . . curas dandas, facis commode. Att. XI, 7, 7 (cf. de or. II, 86, 350. ep. ad Brut. I, 2, 2). — Quod me ab hoc maerore recreari vis, facis ut omnia. Att. XII, 14, 3 (cf. XV, 17, 2). Quod mihi existimationem tuam . . . commendas, facis tu quidem omnium more. fam. XII, 17, 3. Quod domi te inclusisti, ratione fecisti. Att. XII, 44, 3. Facio et lubenter et ut spero recte, quod eam (sc. sapientiam) . . . non possum silentio praeterire. leg. I, 24, 63. Percommode factum est, quod . . . de morte et de dolore . . . disputatum est. tusc. IV, 30, 64. Ab hoc loco, in quo faciendi verbi forma est passiva et impersonalis q. d., non multum discrepant ii, in quibus pro faciendi verbo exstat „accidit“ vel similia, velut: *Accidit perincommode, quod eum nusquam vidisti. Att. I, 17, 2. Hoc tamen cecidit mihi peropportune, quod venistis. de or. II, 4, 15.* Huc pertinet etiam *Att. XII, 43, 1. Quod scribis recte illam rem fore levamento, bene facis.* Nam quin recte Lambinus *scribis* conjecerit pro eo quod in codd. est *scies*, nemini dubium videtur. Cetera num recte se habeant, nihil ad rem. — Denique huc refero hunc locum: *Libenter enim facerem, frater, quod ad istam orationem tecum prolaberer.* leg. I, 20, 52. Nam sic addito verbo *facerem* hunc locum legendum esse alio loco me probaturum spero (cf. supra leg. I, 24, 63).

Bene fecit A. Silius, qui transegerit. Att. XII, 24, 1. Tuque humanissime fecisti, qui me certiorem feceris. ib. XIII, 43, 1. Melius Graeci atque nostri (sc. fecerunt), qui . . . .

easdem illos (i. e. deos) urbes, quas nos incolere voluerunt. leg. II, 11, 26. Facit igitur Lucius noster prudenter, qui audire de summo bono potissimum velit. fin. V, 6, 15. Faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poeta, sed ut a teste veritatem exigant. leg. I, 1, 4. Praeclare igitur facitis, tribuni pl., qui de praesidio consulum senatusque referatis. Phil. III, 10, 25. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem (sc. faciunt). am. 6, 20. Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt quam necesse est. de. nat. I, 5, 10. Qui non defendit injuriam . . ., injuste facit. off. III, 18, 74. Tu autem, qui id quaeris, similiter facis ac . . . de. nat. III, 3, 8 (cf. tusc. IV, 18, 41). Aliter atque ostenderam facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiae meae. fam. II, 3, 2. Potest etiam comparari hic locus: *Callidum factum Socratis (i. e. callide fecit S.), qui . . . furere se simulavit. off. I, 30, 108.*

Praeclare facis, cum . . . puerum diligis. fin. III, 2, 9. Cum dicunt hoc se unum tollere, ut ..., faciunt pueriliter. Ac. pr. II, 11, 33. Nunc cum coactus dicam, ... tamen id ipsum verecunde modiceque faciam. Tull. 5. Civitate teste fecisti, cum mecum inimicitias communicavisti. fam. XV, 21, 2. Quod ergo ille re, id ego etiam verbo (sc. facio), cum imperatores eos appello. Phil. XIV, 9, 24. —

Hoc quidquid attigi, non feci inflammandi tui causa. fam. II, 4, 2 (cf. Planci in epistula ib. X, 24 § 6 Quidquid tibi scribo, dolenter mehercule magis quam inimice facio). Quaecunque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum, aut benevolentiae gratia faciunt, . . . aut honoris. off. II, 6, 21. — Sed agit liberaliter, quoniam negat se quicquam facturum contra nostram voluntatem. Att. XIII, 6, 2. — Nihil fecisset libentius, quam omnem illam acerbitatem proscriptionis suae ... in hanc unam quaestionem contulisset. Cluent. 55, 151. (Non mehercule . . . quidquam libentius facio, quam scribo ad te. Cassii ep. fam. XV, 19, 1.

Recuperatores dicis te daturum. Bene agis (i. e. cum dicis, agis). Verr. III, 59, 135. Jam bene agis; a verbis enim recedis et aequitate uteris. Caec. 13, 37. — Fecit perite et callide: volumen ejus rerum gestarum maximum isti ostendit. Verr. I, 38, 97. At queritur: impudenter facit. Flacc. 24, 57. Consilium capiunt, ut ad servos M. Tulli veniant: dolo malo faciunt. Arma capiunt: dolo malo faciunt. e. q. s. Tull. 34. Consulatum vobis eripiebant, honori vestro repugnabant, et tamen id inviolata vestra ami-

citia faciebant. Sull. 17, 49. Produxi (sc. eum) prima actione; neque id tamen ullo periculo feci. Verr. IV, 7, 16 *).

2.

Deinde ex iis locis, in quibus objectum faciendi verbo adjungatur, secernamus eos,

a.

in quibus hoc objectum sit verbum „gratum, pergratum, gratissimum“, cujus generis locos apud Ciceronem numeravi quadraginta tres. Horum locorum membra tricies et sexies conjungit particula *si*, quinquies *quod*, bis particula *cum*, semel *dum*. Pauca ex multis afferam exempla: *Feceris mihi gratum, si ante eo veneris. Att. XVI, 2, 5. Pergratum mihi feceris . . ., si . . . de amicitia disputaris quid sentias. am. 4. 16. Gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quam primum veneris. fam. II, 19, 2 (cf. Att. III, 9, 2. VII, 21. I, 20, 7. fam. III, 3, 2. XII, 27. XIII, 4, 3. 15, 3. 22, 2. 23, 2. 25. 26, 3. 36, 2. 38. 40. 44. 47. 61. 67, 2. 70. 71. 74. 77, 2. XV, 8. rep. I, 21, 34). Si ea feceris, quae ille per me tecum agi voluit, gratissimum mihi feceris. fam. XIII, 64, 1 (cf. ib. 64, 2). In quo gratissimum facere possis, si curaris ut . . . fam. XIII, 75, 2. Quare mihi gratissimum facies, si exploratum habebis . . . fam. XI, 6, 1* (cf. Lig. 11, 2 in quo similis sententia gerundivo exprimitur sic *In Q. Ligario conservando multis tu quidem gratum facies necessariis tuis* (i. e. si Ligarium conservabis).

Quinque epistularum locos inveni, in quibus subjecta etsi videntur esse diversa, tamen aliquo modo intelliguntur eadem. *Gratissimum nobis . . . feceris, si . . . a te didicerimus. sen. 2, 6* (i. e. si nos docueris, cf. p. 7 fin.). *Nihil ei gratius facere possis, quam si illum per te reciperarit. Q. fr. I, 2, 14* (i. e. si illum ei restituendum curaris). *Gratissimum mihi feceris, si intellexero hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse. fam. XIII, 33* (i. e. si huic commendationi magnum pondus tribueris). *Mihi certe gratissimum feceris, si intellexero has litteras tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse. fam. XIII, 17, 3. Pergratum mihi feceris, si*

---

*) Annotatio. Praeterea ad idem hoc genus consecutivas quasdam sententias videri pertinere silentio praetereundum non puto. Velut *Facio libenter, ut . . . per litteras tecum quam saepissime colloquar. fam. I, 7, 1. Invitus facio, ut recorder ruinas rei publicae. Vat. 9, 21.* Sed cum in omnibus iis sententiis consecutivis, quae coincidentibus simillimae videantur, tamen temporum usus valde differat a coincidentibus, etiam sententiarum rationem aliam esse judico. Qua de re ex tota nostra disputatione consecutivas sententias removimus, ne nimis longi essemus.

ille intellexerit se, quod pro salute mea multa pericula adierit, pro tua erga me benevolentia gratum etiam tibi fecisse. fam. XIII, 60, 2 (i. e. pergratum mihi feceris, si ille te gratum cognoverit, i. e. si tu illum adjuveris). Cf. *Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat meas apud te litteras maximum pondus habuisse. fam. XII, 27.*

Fecisti mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me misisti. Att. II, 4, 1 (cf. ib. VI, 1, 22. XIV, 16, 4). Quod Lentulum meum voluisti hic remanere, Caesari gratum fecisti. Att. VIII, 15 A, 2 (cf. fam. XIV, 8). — Mihi gratissimum fecisti, cum eum . . . nobis amicum quam servum esse maluisti. fam. XIV, 16, 1. (Sesquimodii) . . . quos tu cum ad mensurae tam exiguam rationem populo Romano in capita descripsisses, gratissimum omnibus fecisti. Verr. III, 92, 215. Dum voluit alios habere parata, unde sumerent, . . . ineptis gratum fortasse fecit. Brut. 75, 262.

b.

Multo minus multi sunt ii loci, in quibus aliud objectum primariae enuntiationi additum differentiam sententiarum indicet, atque horum in plerisque neutrum aliquod pronominale, velut nihil, quid, idem, aliud invenitur. Neque vero solum *si*, *quod*, *cum* ad conjungendas enuntiationes adhibentur, sed etiam *pronomina relativa;* ter etiam coordinantur sententiae: *Si te interioribus vicinis tuis . . . anteponis, valde magnum facis. Q. fr. I, 2, 7. Nos magnum fecissemus, si quidem potuissemus, quo contendimus, pervenire. or. 30, 105. Facis injuriam, Chrysogone, si majorem spem emptionis tuae in hujus exilio ponis quam . . . Rosc. Am. 50, 146. Quae omnia si . . . in patronum suum voluerit conferre, nihil egerit. ib. 45, 130. Nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt. ib. 37, 108. Quid tum agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus? tusc. I, 31, 75. Si restitero et fuerit nobis in hac (sc. Caesaris) parte locus (i. e. et habuero locum), idem fecero, quod in Cinnae dominatione L. Philippus e. q. s. Att. VIII, 3, 6. — Nihilne est igitur actum, quod investigata sunt? ac. pr. II, 6, 16. — Quid aliud isti faciunt, cum te soli ex Sicilia laudant, nisi testimonio nobis sunt? Verr. V, 22, 58. Cum rem publicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant? sen. 6, 15. Vos autem nihil agitis, cum illa falsa . . . refellitis. ac. pr. II, 28, 90. — Qui voluit subvenire erroribus Epicurus . . ., nihil fecit. ib. 14, 45. In quo vehemens fui vobiscum, nihil feci nisi coactus. Sull. 31, 87. — Idem facit in natura deorum: . . . negat esse corpus deorum. de. nat. I, 25, 71. Quid feci? . . . non occultavi, non continui domi . . .*

Sull. 15, 42. Illi censores fecerunt idem, *quod in nostra re publica solent ii, qui per largitionem magistratus adepti sunt: dederunt operam, ut . . . Verr. II, 55, 138. Fecit vel* plus *etiam quam dixit, non enim paruit ille Ti. Gracchi temeritati, sed praefuit. am. 11, 37* *).

IV.

Quarto denique genere omnes eos locos complectimur, in quibus verborum nulla sit congruentia neque singula vel nomina vel adverbia faciant discrimen, sed sententiae totae inter sese quasi perpendantur; qui loci sunt plus quingenti. Nullis igitur vinculis cum verba sint astricta, multis admodum variisque modis sententias exprimi consentaneum est.

1.

Sed in tanta varietate orationis tamen omnes fere loci eandem illam quam in ceteris generibus cognovimus, sequuntur normam, ut secundaria enuntiatione aliquid fieri vel factum vel futurum esse dicatur vel fieri fingatur, primaria enuntiatione eadem res ita exprimatur, ut de ea fiat judicium; ratio autem inter primariam et secundariam enuntiationem ea intercedat, ut secundaria subjecti quodammodo vim contineat, primaria praedicati. Atque tota exemplorum copia in quinque partes discedere mihi videtur, quamquam non plane certos inter eas fines constitui posse confiteor.

a.

Saepe ea quae vel sentiat vel dicat vel faciat aliquis, falso vel sensa vel dicta vel facta esse orator judicat verbo errandi vel mentiendi vel peccandi vel simili usus. *Huic (sc. facinori) si paucos putatis affines esse, vehementer* erratis. *Cat. IV, 3, 6. Existimasti te utrique negotio satisfacere posse? vehementer* errasti. *Mur. 22, 46. Errabas, Verres, et vehementer* errabas, *cum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum . . . eluere arbitrabare. Verr. V, 46, 121. Neque tum* peccavi, *cum imparatam Capuam . . . accipere nolui. Att. VIII, 12, 2. Quod scribit Metelli filium puerum esse, vehementer* errat. *Verr. III, 68, 159.* Errant, *qui istas (sc. tabu-*

---

*) Annotatio. Removendos ab his censeo eos locos, in quibus „gratum" vel ejus simile non objectum sit faciendi verbo adjunctum, sed praedicatum additum verbo „esse" velut in his locis: *Pergratum erit si ad me scripseris. fam. IX, 2, 5. Quod ad Xenonem scripsisti, valde mihi gratum est. Att. XIV, 16, 4.* Nam in hujus generis locis altera enuntiatione, quid faciat aliquis, altera ea re quae jucunditas — non efficiatur ab eodem, qui facit, sed quae sit ejus qui loquitur significatur. Duae igitur sunt res neque sententiae coincidentes.

las novas) a Catilina exspectant. Cat. II, 8, 18. Nullum est meum p e c c a t u m *(i. e. nihil peccavi), nisi quod iis credidi. Q. fr. I, 4, 1. Ego si Scipionis desiderio me moveri negem, . . . certe* m e n t i a r. *am. 3, 10. Philo autem dum nova quaedam commovet, . . . et aperte* m e n t i t u r *et . . . Ac. pr. II, 6, 18. Aves vero si prosperos eventus ostenderunt, certe* f e f e l l e r u n t. *De div. II, 37, 79. — Cat. II, 3, 6. leg. ag. I, 7, 23. I, 9, 27. Cluent. 50, 139. Sull. 3, 8. Arch. 10, 23. Phil. II, 9, 23. fat. 13, 30. post. red. II, 8, 19. de or. III, 49, 188. off. II, 12, 43. Att. X, 9 A, 1. off. III, 5, 26. de or. 1, 12, 29. 46, 203. de. nat. II, 21, 57. div. I, 25, 53. fin. I, 17, 55. de or. II, 26, 112. off. I, 14, 44. Verr. III, 68, 157. de. nat. II, 20, 51. de or. II, 18, 76. Verr. III, 67, 156. IV, 16, 35. sen. 23, 85. am. 22, 83. de. nat. 1, 14, 37. de or. I, 32, 145. II, 19, 83. Sest. 46, 100. Verr. III, 92, 215. Mur. 36, 77. div. II, 46, 97.*

b.

Deinde haud ita raro quid judicet de aliqua re gesta, orator enuntiat n o m i n e aliquo, plerumque a d j e c t i v o, rarius substantivo: *Quos* a m e n t i s s i m u s *fuisset, si oppugnasset,* t u r p i s s i m u s, *si reliquisset. Rab. 8, 24.* Q u a s t u l t i t i a *fuissem, si . . . in eam diem ego . . . incidissem. Verr. I, 11, 31. C. Quinctius fuit . . . una in re paulo minus* c o n s i d e r a t u s, *qui societatem cum Sex. Naevio fecerit. Quinct. 3, 11. In hoc sumus* s a p i e n t e s, *quod naturam optumam ducem tamquam deum sequimur. sen. 2, 5. Fuit enim mirifica* v i g i l a n t i a, *qui suo toto consulatu somnum non viderit. fam. VII, 30, 1. Nunquam ulli* f o r t i o r e s *cives fuerunt, quam qui ausi sunt eum . . . condemnare. fam. VII, 2, 3. Ita in una civitate bis* i m p r o b u s *fuisti, cum et remisisti, quod non oportebat, et accepisti, quod non licebat. Verr. V, 23, 59, Qui enim existimabit posse se miserum esse,* b e a t u s *non erit. fin. II, 27, 87. Tum, cum vigilando necabatur,* e r a t i n m e l i o r e c a u s a *quam . . . off. III, 27, 100. Tum igitur majores nostri* p o p u l a r e s *non fuerunt, qui de civitate et libertate ea jura sanxerunt, quae . . . dom. 30, 80. Qui ejus rei rationem quandam conati sunt artemque tradere, sic* i n s u l s i *exstiterunt, ut . . . de or. II, 34, 217. — cf. fam. VI, 1, 3. Att. IX, 10, 6. VI, 1, 26. VII, 17, 2. de or. I, 24, 112. de. nat. II, 1, 1. Ac. pr. II, 36, 115. Brut. 31, 117. Rab. 12, 32. 4, 11. Mur. 30, 62. fin. II, 33, 107. V, 3, 8. IV, 16, 43. V, 28, 86. Verr. I, 46, 121. tusc. V, 6, 15. top. 2, 10. parad. III, 2, 24. div. II, 44, 92.* — His in locis conjungunt sententias vel *pronomina relativa* vel conjunctiones *cum, si, quod,* semel *dum.*

c.

Aliis in locis permultis primaria enuntiatione vis atque pondus indicatur ejus rei, quae secundaria fieri dicatur, ita nimirum, ut quae sit vis vel quod sit pondus ejus rei, judicet orator; qua de re etiam horum locorum primariis enuntiationibus judicia exprimi dicimus. Judicat autem orator ita, ut eundem, qui facere aliquid secundaria enuntiatione dicatur, in eo ipso, quod facit, una certum quiddam aliud fingit facientem. Est haec oratoria quaedam forma dicendi, neque apud alios scriptores praeter oratores tot locos ejus generis inveniri puto. Atque inopiam substantivorum abstractae notionis, quibus raro pro nostro usu utebantur Romani, inter causas fuisse existimo, quibus de causis adeo iudulserit Cicero huic generi dicendi. Nam nos si praedicativam primariarum enuntiationum rationem perlucidiorem volumus fieri, facile id abstractis nominibus plerumque efficere possumus. Sic hunc locum: *Ji, qui negant quicquam posse comprehendi, haec ipsa eripiunt vel instrumenta vel ornamenta vitae (Ac. pr. II, 10, 31)* his fere verbis vertamus: „Die Leugnung von etwas sinnlich Wahrnehmbaren ist (bedeutet) eine Vernichtung jeder Förderung oder Verschönerung des Lebens". Ac similiter reliquorum exemplorum pleraque possunt transferri (cf. Gossravii Lat. Sprachl. 1880. § 494. 3).

Interdum evidens fit coincidentiae ratio his vocibus: *in eo ipso quod*, velut in his locis: *Asclepiades . . . eloquentia vincebat medicos in eo ipso, quod ornate dicebat. de or. I, 14, 62. Gratiam autem et qui refert habet et qui habet, in eo ipso quod habet, refert. Planc. 28, 68.* Vim autem atque sententiam secundariae enuntiationis primaria se exprimere voluisse uno loco orator indicare videtur, cum sic dicit: *Cum vero coronam auream litteris imponebant (sc. Pergameni Castricio), re vera non plus aurum tibi quam monedulae committebant. Flacc. 31, 76.* Quid faciebant Pergameni? coronam auream Castricio litteris scriptis imponebant. Quae vero erat sententia hujus facti? Si quidem Ciceronis sequimur judicium, haec: auri nihil Castricio committebant. Judicare autem se, non gestam rem primaria enuntiatione eloqui nonnullis in locis orator indicat additis vocabulis quibusdam, ut *profecto, credo*, vel ita ut pendeat oratio ab his verbis: *non dubium est*, vel ita ut in medio rem relinquat: *Qui victor pacis auctores diligit, is profecto declarat se maluisse non dimicare quam vincere. Marc. 5, 15. Si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetae fabulas, male, credo, mererer de meis civibus. fin. I, 3, 7. Ut non dubium sit, quin major adhibita vis*

ei sit, cujus animus sit perterritus, quam illi cujus corpus vulneratum sit. Caec. 15, 42. Hic si vivis filiis incolumi regno occidisset, ... utrum tandem a bonis an a malis discessisset? tusc. I, 35, 85.

α) Atque ad hanc partem eam primam sententiarum speciem pertinere censeo, qua secundaria enuntiatione, quid quis aut dicat aut sentiat, primaria autem id ipsum quid valeat exprimatur. *Definis tu mihi, non tollis dolorem, cum dicis asperum, contra naturam e. q. s. tusc. II, 13, 30. De luxuria purgavit Ennius, cum dixit hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. Rosc. Am. 14, 39. Quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi sumam. Cat. III, 9, 22. De qua* (sc. epistola) *cum dixero, totum hoc crimen decumanum peroraro. Verr. III, 66, 154. Dum haruspicinam veram esse vultis* (i. e. dicitis), *physiologiam totam pervertitis. div. II, 16, 37. Spoliavit enim virtutem suo decore imbecillamque reddidit, quod negavit in ea sola positum esse beate vivere. Ac. post. I, 9, 33. Tacite dat ipsa lex potestatem defendendi, quae non hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat. Mil. 4, 11. Non facies fidem scilicet, cum haec disputabis. Pis. 25, 59. Dum se pacem velle simulant, acta nefaria defendunt. Att. XIV, 15, 2. Formas qui putat idem esse quod partes, confundit artem. top. 7, 31. Discrepabat autem ab isdem, quod nullo modo arbitrabatur quicquam effici posse ab ea . . . Ac. post. I, 11, 39. Quae vobis fit injuria* (i. e. quam facimus nos injuriam), *si statuimus vestro nobis judicio standum esse de vobis? Flacc. 27, 65. Quam* (sc. sententiam) *senatus frequens tum, cum mihi est adsensus, secutus est. dom. 4, 9. Duas Gallias qui decernit consulibus duobus, hos retinet ambo. prov. cons. 7, 17. — off. I, 19, 62. de. nat. III, 38, 90. I, 13, 32. 33. II, 9, 24. fat. 11, 24. 9, 20. de or. I, 47, 205. 55, 236. III, 43, 169. Cluent. 51, 142. Sull. 13, 39. 24, 68. Vatin. 1, 3. or. 27, 93. Quinct. 10, 36. Verr. I, 9, 24. II, 14, 36. V, 51, 135. inv. I, 43, 81. Phil. VIII, 3, 8. I, 11, 27. V, 14, 38. tusc. II, 12, 28. III, 29, 71. Brut. 60, 216. off. III, 6, 28. fin. IV, 21, 59. 9, 23. III, 3, 10. II, 27, 88. leg. II, 24, 61. Caec. 25, 70. leg. agr. II, 14, 35. am. 9, 29. 21, 72. Phil. I, 14. 33. XIII, 18, 39. XI, 8, 19. Caec. 25, 70. Brut. 24, 92. fam. V, 20, 4. Verr. V, 46, 121. Mur. 28, 60. Tull. ap. Jul. Victor. VI, 6. p. 224. ed. Or. Cat. IV, 6, 11. post. red. I, 11, 27. Pis. 3, 7. div. II, 15, 34.*

β) Huic sententiarum formae contraria fere, quamquam ratione non mutata, est ea, in qua vis ejus, quod facit aliquis, oratoria quadam dicendi ratione exprimatur verbo di-

cendi vel sentiendi. *Cum senatores summis injuriis afficis, quid aliud dicis nisi hoc . . . Verr. III, 41, 96. Declaravit, quam odisset senatum, cum auctorem senatus exstinctum laete atque insolenter tulit. Phil. IX, 3, 7. Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem et ceteros, coli lex jubet, indicat omnium quidem animos immortalis esse, sed fortium bonorumque divinos. leg. II, 11, 27. Satis significavit quantum esset in actione, qui orationem eandem aliam fore putavit actore mutato. de or. III, 56, 213. Quid potest dicere, quin, cum de illo tacuerit, se hostem confessus sit. Phil. III, 8, 21. Lege quae est de alea condemnatum qui in integrum restituit, is non apertissime studium suum ipse profitetur? Phil. II, 23, 56. Quae cum taces, nulla esse concedis. Rosc. Am. 19, 54. Quo enim ille die . . . ebrius est contionatus et id egit, ut collegae diadema imponeret, eo die se non modo consulatu, sed etiam libertate abdicavit. Phil. III, 5, 12. De te autem, Catilina, cum quiescunt, probant, cum patiuntur, decernunt, cum tacent, clamant. Cat. I, 8, 21. Hunc igitur qui Gallia prohibet, . . . judicat verissimeque judicat non esse consulem. Phil. III, 5, 12. Quid? cum Brutum . . . exercitumque ejus . . . laudibus amplissimis affecistis, tum non hostem judicastis Antonium? Phil. VII, 4, 11. Eum quod certum consulem cum Domitio numeratis, nihil a nostra opinione dissentitis. Q. fr. III, 8, 3. Mihi enim estis adsensi, cum ejusdem Pompeji litteris recitatis . . . supplicationem dierum decem decrevistis. prov. cons. 11, 27* (quo in loco de ea re, utrum forte aliqui senatorum Ciceroni verbis sint adsensi necne, nihil dicitur, sed illud decretum de supplicatione factum approbationem continuisse sententiae suae dicit orator). *Si quis est, qui et se et causam laedi putet, cum Chrysogonus vituperetur, is causam ignorat, se ipsum probe novit. Rosc. Am. 49, 142. — Rosc. Am. 21, 58. Rosc. Com. 4, 13. Caecil. 6, 21. Tull. 39. Phil. VII, 9, 26. Att. VII, 3, 5. off. I, 8, 26. fam. XIII, 60. Marc. 5, 15. Phil. V, 14, 39. dom. 37, 98. Pis. 30, 74. 40, 97. Planc. 22, 54. leg. II, 23, 58. II, 10, 25. fam. III, 8, 7. XI, 21, 1. Verr. II, 60, 148. 64, 155. Sull. 29, 81. de. nat. III, 24, 63. Flacc. 14, 33. 28, 69. off. III, 9, 39. Rosc. Com. 4, 13. 9, 25. Cluent. 47, 132. Caec. 34, 99. Cat. IV, 3, 5. Mil. 6, 15. Marc. 5, 13. Phil. VII, 3, 10 (bis). 4, 13. XIV, 8, 22. 9, 24. fam. XI, 27, 8. 29, 2. XV, 1, 5. dom. 26, 69. fin. III, 18, 59. II, 3, 7.*

γ) Saepe in hac parte ex proximis verbis sententia aliqua repetitur et quasi comprehenditur uno verbo faciendi, id quod et in secundariis et in primariis enuntiationibus potest

fieri. Neque igitur id solum, quod nos „factum" dicimus, sed etiam judicium illud hoc faciendi verbo significatur. In secundariis autem sententiis hoc verbum inveni his locis: *Omnia studiose diligenterque curabo: quae cum f a c i a m, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. fam. VI, 4, 5.* *Id qui toto in genere f e c e r i t* (i. e. animadverterit, quid sit qua re alii melius quam alii dicant) *is si non plane artem, at quasi artem quandam invenerit. de or. II, 8, 32. At enim te in disciplinam meam tradiderat — nam ita dixisti — ... Ne tu si id f e c i s s e s, melius famae melius pudicitiae tuae consuluisses. Phil. II, 2, 3. — Ac. pr. II, 36, 116. fam. X, 14, 2 (fam. XI, 4, 2 scr. Brutus.)* — In primariis sententiis idem verbum faciendi exstat his in locis: *Tota vita ... commentatio mortis est. Nam quid aliud a g i m u s, cum a voluptate, id est a corpore, . . . sevocamus animum. tusc. I, 31, 75. Multi et magni philosophi haec ultima bonorum juncta fecerunt ... idem f e c i s s e t Epicurus, si sententiam hanc, quae nunc Hieronymi est, conjunxisset cum Aristippi vetere sententia. fin. II, 6, 19. Itaque f e c i, Catule,* (sc. subauscultando excepi voces Graecorum et procul quid narrarent attendi) *et istorum omnium summatim causas et genera ipsa gustavi. de or. II, 36, 153. — Sen. 8, 26. Verr. II, 47, 118. de. nat. III, 30, 74.*

δ) Quartam ejusdem generis speciem eam ponimus, qua secundariae enuntiationes pendeant a v e r b i s a f f e c t u u m, quae dicunt. Potest enim etiam tali verbo orator judicare de ea re, quae secundaria enuntiatione fieri dicatur, ita quidem, ut sibi quid valeat vel quam vim habeat, significet. Sic in hoc loco *A d l e v o r, cum loquor tecum absens (Att. XII, 39, 2)* ea fere sententia inest, quam nos vernacula lingua sic dicamus „Diese stille Unterhaltung mit Dir ist mir eine Erholung". Idem pertinere ad hos locos censeo: *Dupliciter d e l e c t a t u s s u m tuis litteris, et quod ipse risi et quod te intellexi jam posse ridere. fam. IX, 20, 1. Magnam v o l u p t a t e m ex tuis litteris c e p i, quod quam speraram . . . habere te de me opinionem cognovi. fam. XI, 28, 1. N o s malo solacio, sed non nullo tamen c o n s o l a m u r, quod ipsius vicem minime dolemus. Att. IV, 6, 1. D e l e c t a m u r, cum scribimus. fin. I, 1, 3. Cum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae g a u d e m u s. fin. I, 11, 37. Neque enim qui rerum naturam, qui vitae varietatem, qui imbecillitatem generis humani cogitat, m a e r e t, cum haec cogitat. tusc. III, 16, 34. Maxima sum l a e t i t i a a f f e c t u s, cum audivi consulem te factum esse. fam. XV, 7. Cum stultorum vitam cum sua comparat, magna a d f i c i t u r v o l u p t a t e. fin. I, 19, 62. R e-*

quiesco paulum in his miseriis, cum quasi tecum loquor. Att. VIII, 14, 1. Multis rebus meus offendebatur animus, cum . . . aut occulta nonnullorum odia aut obscura in me studia cernebam. fam. I, 9, 5. Respiraro, si te videro. Att. II, 24, 5. De istis duobus cum cogito, doleo nihil tuam perpetuam auctoritatem de pace valuisse. Brut. 76, 266. Levabor cura virum fortem . . . audiens πολιτικῶς de pacis simulatae periculis disserentem. Att. VII, 8, 4. ep. ad Brut. I, 15, 2. 18, 3.

ε) Etiam quae restant ejusdem partis exempla, numero fere centum et octoginta, cum tanta sint varietate, ut certas in iis et communes formas distinguere nequeamus, eorum totam copiam ex conjunctionum generibus dividemus. *Quae mutat* (sc. Epicurus), *ea corrumpit. fin. I, 6, 21. Ei medentur rei publicae, qui exsecant pestem aliquam tamquam strumam civitatis. Sest. 65, 135. Qui enim vitiis modum apponit, is partem suscipit vitiorum. tusc. IV, 18, 42. Qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit. fat. 19, 43. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere. tusc. I, 45, 109. (Dignitatem) minuit is qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit. part. or. 30, 105. Is enim profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit. Phil. IX, 3, 7. Bis servavi rem publicam, qui consul togatus armatos vicerim, privatus consulibus armatis cesserim. dom. 37, 99. Qui M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit. fam. X, 13, 2. Quem laborem nobis Attici nostri levavit labor* (i. e. Atticus levavit labore suo), *qui . . . annorum septingentorum memoriam uno libro conligavit. or. 34, 120. Quae dignitas illi oratori defuit* (i. e. summa dignitate usus est ille), *qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem? de or. II, 28, 124, Pharnaces autem, quoquo modo aget, adferet moram. Att. XI, 22, 2. Ut, quotiescunque de clarissimo et beatissimo viro cogitemus, illum potius quam nosmet ipsos diligere videamur. Brut. 1, 4.* (Generale pronomen relativum nisi in his duobus locis non occurrit.) *fin. I, 1, 2. sen. 14, 47. de or. II, 12, 53. 39, 164. Sull. 2, 4. off. I, 25, 85. 29, 102. II, 22, 78. III, 13, 55. 20, 79. leg. III, 19, 42. Rosc. Am. 31, 87. Rosc. Com. 18, 53. 17, 52. Verr. V, 25, 62. fat. 9, 20. tusc. V, 9, 27. Tim. 12. Brut. 73, 255. top. 10, 45. Marc. 6, 18. Caec. 23, 66. Sull. 31, 87. Balb. 14, 32.*

Lacedaemonii ipsi cum omnia concedunt in amore juvenum praeter stuprum, tenui sane muro dissaepiunt id quod excipiunt. rep. IV, 4, 4. Qui quidem meus dolor non modo non minuitur, cum socium sibi adjungit dolorem tuum, sed etiam augetur.

Att. XI, 6, 1. Te sororis filius Postumius . . . notavit, cum in magno numero tutorem liberis non instituit. Sest. 52, 111. Quid tanto opere deliqui illo die, cum ad vos indicia, litteras, confessiones communis exitii detuli, cum parui vobis? Sest. 69, 145. Dignitati eorum concessit, cum petere destitit. Mur. 27, 57. Theophrastus mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Aristotele ante tractatos? fin. I, 2, 6. Cum tibi haec verba recitabant „clarissimum virum" e. q. s. mihi crede ludebant. Flacc. 31, 76. Neque vero Asclepiades ... cum eloquentia vincebat ceteros medicos ..., medicinae facultate utebatur, non eloquentiae. de or. I, 14, 62. Cum autem rationem init (sc. familia), *ut ea* (sc. vis) *fiat, familia ipsa non facit* (sc. vim), *fit autem dolo malo ejus. Tull. 11, 28. Confirmantur nostra consilia, cum sentimus prudentibus ... idem videri. fam. II, 13,* 2. (subjectum in utraque enuntiatione intelligitur idem „nos"). *Quam postea tu tibi defensionem r e l i n q u e b a s, in ea maxime offendisti, cum tuam auctoritatem tute ipse edicto provinciali repudiabas. Verr. I, 44, 112* (i. e. postea te tibi defensionem relinquere putabas, quoties tuam auctoritatem tute ipse edicto provinciali repudiabas; sed in ea defensione maxime offendisti). — *Pis. 7, 14. 1, 2. 33, 82. Cat. II, 1, 1. Rab. 6, 18. Att. II, 18, 1. II, 15, 3. de or. II, 52, 209. 75, 303. or. 10, 34. Mil. 37, 103. Sest. 16, 37. 52, 111. Phil. XI, 14, 35. dom. 21, 54 (bis). Verr. I, 6, 15. IV, 17, 37. III, 76, 177. Rosc. Com. 18, 55. har. resp. 18, 39. de. nat. I, 36, 101. 44, 122. rep. II, 28, 50. Cael. 24, 59. Lig. 5, 15. 6, 19.*

Hoc (sc. tempore) *s i non utor, non tibi injuriam facio sed de meo jure aliquid et commodo detraho. Verr. I, 9, 25. Si etiam Caesarem . . . reddo meliorem, num tantum absum rei publicae? Att. II, 1, 6. Appellatur enim quidam a philosophis ἀργὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. fat. 12, 28. Amicissimi hominis existimatio offendenda est* (sc. mihi), *si illam accusationis condicionem sequar. Planc. 2, 6. Num igitur se astrinxit scelere, si qui tyrannum occidit? off. III, 4, 19. Hic tu si amplius HS nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti. Rosc. Com. 4, 10. Quid? si harum ipsarum civitatum militibus, navibus, navarchis Syracusanus Cleomenes jussus est imperare* (sc. ab isto), *non omnis honos ab isto dignitatis aequitatis officiique sublatus est? Verr. V, 32, 84. Si tibi magistratum abrogasset, minore ignominia te affecisset. Verr. II, 57, 140. Utrum, si tum esset exstinctus, a bonis rebus an a malis discessisset? tusc. I, 35, 86. Si ante occidissemus, mors nos a malis, non a bonis rebus abstraxisset. tusc. I, 34, 84* (i. e. a malis rebus moribundi dis-

cessissemus). *Vicerit enim, si consul factus erit. Att. VII, 15, 3. Qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit. off. III, 6, 31. Si una fefellerit similitudo, dubia omnia reddiderit. Ac. pr. II, 26, 84. Praeclare enim vixero, si quid mihi acciderit prius quam hoc tantum mali videro. Mil. 36, 99* (i. e. si prius diem obiero). *Magna me affeceris non modo laetitia sed etiam quodammodo gloria, si P. Sestius homini maxime necessario* (i. e. C. Albinio socero) *satisfecerit per me. fam. XIII, 8, 3.* (Hoc loco utriusque enuntiationis commune subjectum intelligi eum, quem alloquatur Cicero, M. Rutilium, jam ex iis apparet quae sequuntur: *quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.* Rogat autem Rutilium agro dividendo a Caesare praefectum, ut C. Albinii agro parcat, quod ut petat a P. Sestio Albinii genero fuit rogatus.) *Innumerabilia tua sunt in me officia . . . Omnia viceris, si ut spero te validum videro. fam. XVI, 4, 3* (i. e. si ut validus sis curaris). — *Att. VII, 3, 10. XII, 37, 4. 20, 1. VIII, 12 A, 4. XIII, 1, 3. XV, 14, 3. fam. VII, 1, 3. XIII, 29, 8. XVI, 1, 2. III, 8, 5. II, 21, 6. fin. II, 19, 60. Flacc. 42, 106. Rosc. Am. 50, 145. 43, 124. Verr. IV, 11, 25. tusc. I, 35, 85. 36, 88. III, 32, 77. Caec. 29, 83. 30, 87. Mur. 7, 15. off. I, 7, 21. 10, 32. III, 4, 19. Brut. 1, 5. de or. I, 15, 68. II, 75, 305. II, 75, 306. inv. I, 39, 73. dom. 52, 134. Rab. 10, 28. rep. I, 46, 70. Cat. II, 5, 11. Sest. 22, 50. Lig. 5, 14. Dej. 6, 18. Phil. II, 21, 52. IV, 4, 9. XI, 8, 20. XII, 6, 13.*

Non minuit majestatem, quod egit de Caepione turbulentius. part. or. 30, 105. C. Rabirius fraudem capitalem admisit, quod arma contra L. Saturninum tulit. Rab. 9, 26. Uno te vicimus, quod de Marcelli . . . salute paullo ante quam tu cognovimus. fam. IV, 4, 3. Nihil ut a patris avique Africani praestabili insignique virtute, praeterquam quod a senatu desciverat, deflexisset (sc. Ti. Gracchus). *har. resp. 19, 41.* — *fin. IV, 16, 43. div. II, 31, 67. fam. I, 9, 1. Att. XVI, 3, 1. dom. 37, 99. Lael. 7, 23. de or. I, 8, 32. inv. II, 17, 52. leg. III, 14, 32. har. resp. 9, 19. leg. agr. II, 33, 91.*

Urbem philosophiae . . . proditis, dum castella defenditis. div. II, 16, 37. Dum autem verbis utitur suis, delabitur in eas difficultates. fat. 17, 39. Totum corpus rei publicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. off. I, 25, 85. — *inv. II, 3, 10. de or. III, 17, 62. Att. XII, 18, 1. XIII, 42, 1. fin. II, 6, 18.* — *Hic nos Stoicus iste nihil adjuvat, quoniam quemadmodum inveniam quid dicam, non docet, atque idem etiam impedit, quod et multa reperit, quae negat ullo modo posse dissolvi. de or. II, 38, 159. Deserunt*

enim vitae societatem, quia nihil conferunt in eam studii, nihil operae, nihil facultatum. off. I, 9, 29. Att. XIII, 1, 2. Planc. 36, 89. Phil. I, 15, 38.

Tolle hanc spem, tolle hoc praesidium civibus Romanis, constitue nihil esse opis in hac voce „civis Romanus sum“ ... jam omnes provincias ... civibus Romanis ista defensione praecluseris. Verr. V, 65, 168 (i. e. si sustuleris . . ., constitueris . . ., praecluseris). *Decessi unius hominis telo proterritus: dejectus detrususque sum. Caec. 16, 47* (i. e. si decessi . . . ., dejectus sum). *Etiam misericordiam captabas: supplex te ad pedes abjiciebas. Phil. II, 34, 86* (i. e. cum te abjic.). *Recepta causa Siciliensi amplexus animo sum aliquanto amplius. Suscepi enim causam totius ordinis. Verr. II, 1, 1* (i. e. cum suscepi). *rep. II, 28, 50. Verr. III, 60, 139. inv. I, 22, 31.* — *Consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat. Brut. 89, 306. Ut, quemadmodum Tarquinius, non novam potestatem nactus, sed quam habebat usus injuste, totum genus hoc regiae civitatis everterit, . . . rep. II, 29, 51. Quibus* (sc. Marcellis) *tu etiam mortuis M. Marcello conservato dignitatem suam reddidisti. Marc. 4, 10. Convictis Epicuri erroribus longa de mea disputatione detracta oratio est. de. nat. II, 1, 3.* — *off. I, 5, 17. Rab. Post. 12, 33. Att. VII, 2, 4. III, 8, 3. Tim. 11. Phil. XIV, 8, 24. rep. VI, 24, 26.*

Omnes hos locos ejus generis esse existimo, quo primaria quaque enuntiatione vis atque pondus indicetur ejus rei, quae secundaria dicatur fieri (cf. p. 41).

d.

Ab hoc genere non longe differre, sed differre mihi videntur quidam loci, in quibus ea sit secundariarum et primariarum enuntiationum ratio, ut secundaria enuntiatione studium aliquod, primaria eo quid efficiatur ita exprimatur, ut duo haec una actione contineantur.

α) Hujus generis in altera parte studium in enuntiatione secundaria indicatur verbo velle vel simili, effectus in primaria verbo quolibet, ut in hoc loco: *Si qua in iis corrigere voluit, deteriora fecit. fin. I, 8, 26.* Secundaria enuntiatione igitur quid quis voluerit, indicatur, primaria, quid re vera fecerit vel quid de eo factum sit. Neque tamen mutata est enuntiationum ratio. Nam quod ille fecisse dicitur, nihil aliud est atque quod judicat eum fecisse orator, qua de re multi sine dubio secus sentiebant. Quid vero voluerit, inter omnes fere videtur constare, atque id „factum“ recte, opinor, dicimus. Itaque in his quoque locis secundaria enuntiatione factum aliquod, primaria judicium

continineri statuendum videtur. Praedicativam autem primariarum enuntiationum vim Germanicis verbis sic possumus significare „Seine Verbesserungsversuche waren nur Verschlechterungen". Hujus partis sunt hi loci: *Ita ut . . ., dum otium* *v o l u n t* *etiam sine dignitate retinere, ipsi utrumque amittant.* *Sest. 47, 100. Vide, Crasse, ne, dum novo . . . ornatu* *v e l i s* *ornare juris civilis scientiam, suo quoque eam . . . spolies et denudes. de or. I, 55, 235. Ut, cum ostendere* *v e l l e s*, *quales di essent, ostenderes nullos esse. de. nat. III, 8, 20. Qui si virtutes ebullire* *v o l e n t* *et sapientias, nihil aliud dicunt nisi . . . tusc. III, 18, 42. Dum ex honoribus continuis familiae majorumque suorum unum ascendere gradum dignitatis* *c o n a t u s e s t*, *venit in periculum, ne . . . amittat. Mur. 27, 55. — Caecil. 17, 56. Cat. III, 12, 27. Mur. 27, 55. Cael. 7, 17. fin. II, 33, 108. IV, 28, 78 (bis). Verr. II, 17, 42. de or. II, 24, 101. Brut. 81, 282. de. nat. I, 24, 68. 25, 69. fat. 14, 32.*

β) Altera in parte effectus in p r i m a r i a enuntiatione significatur verbis a s s e q u e n d i, p r o f i c i e n d i vel similibus aut a m i t t e n d i vel ejus generis, studium autem in secundaria propriis verbis non exprimitur. Hanc ad partem hos puto locos pertinere: *Dum inertiae vituperationem . . . contemnunt,* *a d s e q u u n t u r* *etiam illam . . . tarditatis. de or. II, 24, 101. Quid ergo* *p r o f e c i t*, *quod protulit fastos? Att. VI, 1, 8. Quod qui faciunt, plurimum gratiae* *c o n s e q u u n t u r*. *off. II, 19, 67. Dum illum rideo, paene* *s u m f a c t u s* *ille. fam. II, 9, 2* (i. e. derisionis meae genus quasi ex illius erat persona). *Permagnam* *i n i t i s* *a nobis* *g r a t i a m*, *cum eum auctorem nostrae defensionis esse dicitis. Caec. 27, 79. Quod me ad vitam vocas, unum* *e f f i c i s*, *ut a me manus abstineam. Att. III, 7, 2. Veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne* *o p e r a m p e r d i d i s s e s*. *de or. I, 55, 234. Omne enim et exercitus et imperii jus* *a m i t t i t* *is, qui eo imperio et exercitu rem publicam oppugnat. Phil. X, 5, 12. Dolorem saepe perpetiuntur, ne, si id non faciant,* *i n c i d a n t* *in majorem. fin. I, 14, 48. Multi etiam in res odiosas imprudentes inciderunt; ut Staieno nuper accidit* (i. e. incidit in r. o.), *cum ea locutus est e. q. s. top. 20, 75 (cf. p. 43, γ.). — fin. I, 14, 48 (iterum). IV, 15, 40. off. I, 25, 88. or. 31, 111. tusc. I, 21, 49. div. II, 7, 18. 54, 110. Verr. III 55, 128. Cat. I, 10, 27. inv. II, 35, 107. Att. VIII, 14, 2. XI, 22, 2. Q. fr. I, 2, 7. fam. XIII, 6, 4. Mur. 10, 23.* — Ejusdem generis quaedam sunt exempla, in quibus pro secundariis enuntiationibus sunt p a r t i c i p i a, haec dico: *Ipsa umbra terrae soli* *o f f i c i e n s* *noctem efficit. de. nat. II, 19, 49. Hanc* (sc. legionem Martiam) *i m i t a t a* *quarta legio parem vir-*

tutis gloriam consecuta est. Phil. XIV, 12, 31. — de. nat. II, 19, 49. off. I, 31, 111. leg. I, 8, 26. Phil. III, 3, 7. Mur. 20, 42. Att. VI, 2, 4.

e.

Denique judicium primaria enuntiatione ita potest effici, ut ejus, qui secundaria enuntiatione facere aliquid dicatur, animi condicio quaedam exprimatur, qua impellatur ille ad faciendum; velut in hoc loco: *Neque ego ea, quae facta sunt, fore cum dicebam, divinabam futura. fam. VI, 1, 5* (i. e. „Mein Voraussagen der künftigen Ereignisse war kein prophetisches Vorherwissen"). Conferre mihi liceat tales sententias cum machinis quibusdam, velut horologio artificiose composito. Oculis cernuntur virgularum, figurarum, numerorum motus, auribus percipiuntur campanarum soni, — earum rerum similes secundariis enuntiationibus exprimuntur. Non comprehenduntur sensibus (nisi claustra removeamus) interioris machinae motus —, quorum similes primariis enuntiationibus indicantur. Sed tota res una est, neque interiores partes ab exterioribus possunt revelli servata operis integritate. Ea igitur, quae fieri omnes percipere possunt, facta recte dicere nobis videmur; quae secundariis enuntiationibus exprimuntur. Ea autem, quae animum alicujus movent, ut illa faciat, judicando potius orator indicat, qua re quasi aperire conatur animi claustra sive sui ipsius sive alius, eaque judicia appellari liceat; quae primariis enuntiationibus significantur. Ita autem cohaerent illud factum et judicium, ut unam rem efficiant, neque possint divelli. Exempla rem satius illustrabunt. *Nec enim Herculi nocere Deianira voluit, cum ei tunicam . . . dedit. de. nat. III, 28, 70* (i. e. „Die Uebergabe der Tunica war kein Versuch, den Herkules zu töten", cf. p. 41 sq.). *Cum credebat inductus usuris, id agebat, ut haberet quam plurimum. Rab. Post. 14, 39. Eo vidisti multum, quod praefinisti, quo ne pluris emerem. fam. VII, 2, 1. Quem quidem ego cum ex urbe pellebam, hoc providebam animo Quirites . . . Cat. III, 7, 18. Huic igitur legi paruit Cassius, cum est in Syriam profectus. Phil. XI, 12, 28. Quid igitur voluit sibi, qui illa mutaverit. fin. IV, 20, 57. Cum exhauriebas aerarium, cum orbabas Italiam juventute . ., quae te, praedo amentissime, nisi praedae ac rapinarum cupiditas tam caeca rapiebat? Pis. 24, 57. Hercules . . . cum uxorem interemebat, cum conabatur etiam patrem, non perinde movebatur falsis, ut veris moveretur? Ac. pr. II, 28, 89. Caesari diadema imponens Antonius servum se illius quam collegam esse malebat. Phil. XIII, 8, 17. — Qui non poenam confessioni, sed defensionem dedit, is cau-*

sam interitus quaerendam, non interitum p u t a v i t. *Mil. 6, 15. Qui paeana praetereunt, non* v i d e n t *mollissimum a sese numerum praeteriri . . . or. 57, 192. Qui vero mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt, nullo modo* v i d e r u n t *animi natura intellegentis in quam figuram cadere posset. de. nat. I, 10, 23. Cum senatus decernit, ut ematur in Sicilia frumentum aut cum populus jubet, hoc, ut opinor,* i n t e l l e g i t, *ex Sicilia Siculum frumentum apportari oportere. Verr. III, 74, 172. Jovem cum Optimum et Maximum dicimus . . ., hoc* i n t e l l e g i v o l u m u s *. . . fin. III, 20, 66.* N e q u e *vero hoc* f u g i t *sapientissimum regem Philippum* (i. e. bene intellexit hoc Phil. sc. Aristotelem rerum cognitionem cum orationis exercitatione conjunxisse), *qui hunc Alexandro filio doctorem accierit. de or. III, 35, 141. Multum in posterum* p r o v i d e r u n t, *quod nervis omnibus urbe exsectis urbem ipsam solutam ac debilitatam reliquerunt. leg. agr. II, 33, 91. off. III, 5, 26. Cat. III, 2, 3. div. II, 10, 25. de or. II, 82, 33. dom. 26, 68. 69. or. 64, 218. Att. I, 16, 2. fat. 5, 9. 18, 41. de. nat. II, 33, 86. Pis. 30, 73. Mur. 38, 81. Verr. act. I, 15, 44. Pis. 24, 56. Leg. II, 24, 61. ep. ad Brut. I, 15, 8. Sull. 2, 4.* f.

Quoniam in omnibus sententiis coincidentibus eandem valere primariarum et secundariarum enuntiationum rationem demonstrasse nobis videmur — secundariis enuntiationibus facta, primariis judicia quaedam exprimi, sive secundarias enuntiationes subjectorum quodammodo vim continere primarias praedicatorum — d e c o o r d i n a t i s s e n t e n t i i s aliquid videtur addendum. Etiam coordinatae sententiae coincidentiae ratione sic conjunguntur, ut altera factum, altera judicium contineat, ac si easdem sententias subordinamus, ea quae factum indicet, secundaria, ea autem, qua judicetur, primaria fit enuntiatio. Quae sententiarum ratio interdum certior fit conjunctionibus, velut *nam, enim, tamen*, aliis: *Mutasti pactionem et Ciliciam ad praetorem item extra ordinem transtulisti. dom. 9, 23* (i. e. mutasti pactionem, qui transtulisti). *Da mihi hoc: jam tibi maximam partem defensionis praecideris. Verr. II, 62, 151* (i. e. hoc si mihi dederis, praecideris). *Hoc loco ego sumpsi quiddam de tua eloquentia.* N a m *tacui. Att. XIII, 42, 1* (i. e. cum tacui); *(cf. ad Her. II, 10, 14: Ab sententia sic dicemus: primum laudabimus . . . e. q. s. et ib. II, 7, 10: A quaestionibus dicemus,* c u m *demonstrabimus).* Saepe etiam pronominibus relativis non subordinantur sententiae, sed coordinate adjunguntur, id quod satis notum est. Talibus igitur in locis non secundariae enuntiationes pronominibus relativis

incipiunt, immo, si quidem coincidentes sunt sententiae, enuntiationes relativae primariarum vim habent. Idem in superioribus generibus pertractandis passim monuimus (cf. p. 32 Verr. II, 41, 110; p. 31 Caec. 33, 96). Praeterea vide hos locos: *Parcebat enim adversarii dignitati, in quo ipse conservabat suam. de or. II, 54, 221* (i. e. in eo ipso, quod parcebat adv. dign., ipse conservabat suam). *Clarissimo viro atque innocentissimo decrevit imperium, privato tamen: in quo maximum nobis onus imposuit. Phil. XI, 8, 19. Quod et in Tettii testimonio priore actione interpellavit Hortensius: quo tempore quidem signi satis dedit, si quid esset, quod posset dicere, se tacere non posse. Verr. I, 28, 71. Nisi consules causam conjunxisse secum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret. har. resp. 22, 47,* (i. e. in eo uno, quod . . . affirmabat, non mentiebatur). *ep. ad Brut. I, 9, 1 et 2.*

g.

At in paucis exemplis (non plus decem ex hujus generis quingentis fere invenire potui) sententiarum ratio diversa est. Sex in locis primariis enuntiationibus facta, secundariis judicia exprimuntur, dico hos locos: *Litteris consignamus, quae monumentis mandare volumus. Ac. pr. II, 1, 2* (i. e. cum aliqua litteris consignamus, monumentis mandare volumus). *Qui haec vituperare volunt, Chrysogonum tantum posse queruntur; qui laudare volunt, concessum ei non esse commemorant. Rosc. Am. 48, 138* (solennis forma haec esset. Cum Chrysog. tantum posse queruntur, haec vituperant; cum concessum ei non esse commemorant, laudant). *Quis tulit? is, qui auctoritati senatus, voluntati tuae paruit. Mur. 23, 47* (cf. locum supra p. 50 all.: *Huic ergo legi paruit Cassius, cum est in Syriam profectus. Phil. XI, 12, 28*). *Qui, si te recte monere volet, suadebit tibi, ut hinc discedas. Caecil. 16, 52 (cf. p. 33. 3: Narrationem quod jubet veri similem esse . . ., recte nos admonent. de or. II, 19, 83). Omnia . . . si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Phil. II, 22, 55. Quam* (sc. mortem) *qui leviorem faciunt, somni simillimam volunt* (i. e. dicunt) *esse. tusc. I, 38, 92* (quem locum nostrae normae sic possumus accommodare: mortem, cum somni simillimam volunt esse, leviorem faciunt; *cf. de. nat. I, 13, 33: Cum autem sine corpore idem volt esse deum, omni illum sensu privat*). — Restant quattuor loci, in quibus primariis enuntiationibus fieri aliquid dicatur, secundariis vero quodammodo in parenthesi q. d. interpositis eaedem res et repetantur et augeantur, hos dico: *Aut, id quod certe fiet, ad pontifices rejicietur. har. resp. 7, 14. Quod me amas, quod id et jam pridem et constan-*

ter facis, est id quidem magnum. fam. IX, 15, 1. Quod judicium . . . de compromisso factum erat, cum civis Centuripinus inter duos cives dijudicasset, id irritum jussit esse. Verr. II, 27, 66. Quae Theophrastus de fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus conjungi vitam beatam nullo modo posse putavit, vereor ne vera sint. fin. V, 26, 77. — Omnes has sententias decem proprie coincidentes non dixerim.

2.

Jam hanc orationis partem, quae est de quarto coincidentium sententiarum genere latissime patenti, in quo verborum nulla est similitudo (cf. p. 39), ad finem perduxero, si d e s u b j e c t i s pauca adjecero. Atque ut in superioribus generibus tribus, sic in hoc quoque subjecta eadem solent esse in primariis et secundariis enuntiationibus. Aliquot autem in locis cum verborum formis diversa indicentur subjecta, sententiis tamen intelliguntur eadem. Cujus quidem rei quoniam in superioribus generibus passim feci mentionem, pauca exempla attuli. *Plus tibi virtus tua dedit* (i. e. virtute nactus es), *quam fortuna abstulit* (i. e. fortuna amisisti), *propterea quod adeptus es, quod non multi homines novi, amisisti, quae plurimi homines nobilissimi. fam. V, 18, 1* (in his unum subjectum intelligitur „tu“). *Philosophiae vituperatoribus satis responsum est* (sc. a nobis), *eo libro quo a nobis philosophia defensa et conlaudata est. fin. I, 1, 2* (subjectum intelligitur „nos“). *Quibus si nihil responderem, nisi me M. Bruto negare roganti noluisse, justa esset excusatio. Or. 41, 140* (i. e. juste me excusarem). *Facile indicabat ipsa natura vim suam* (i. e. homines naturae vim imprudentes indicabant), *cum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero judicarent. Lael. 7, 24. Si quae te forte res aliquando offenderit, cum ille aut occupatione aut difficultate tardior tibi erit visus, perferto. fam. VII, 17, 2* (subjectum intelligitur „tu“ hoc fere modo: „si quam forte offensionem acceperis, cum illum ... tardiorem videris“). *Si quae veteres illi . . . numerose . . . dixerunt, ea non numero quaesito, sed verborum conlocatione ceciderunt. Or. 65, 219* (i. e. ea quasi inviti numerose dixerunt). — Idem quodammodo intelligitur subjectum etiam tum, cum utraque sententia pro i m p e r s o n a l i, quam dicunt grammatici, potest haberi, ut vernacula lingua vocabulum „man“ recte subjectum faciamus. Hujus generis exempla sunt haec: *Nec vero cum duo Decii aut duo Scipiones fortes viri commemorantur, aut cum Fabius justus nominatur, aut ab illis fortitudinis aut ab hoc justitiae tamquam a sapiente petitur exemplum. off. III, 4, 16. Cum alterius populi majestas conservari jubetur, de altero siletur, certe ille po-*

pulus in superiore condicione causaque ponitur, cujus majest... s foederis sanctione defenditur. Balb. 16, 36. Quibus cum pro... vocatio datur, nonne acta Caesaris rescinduntur? Phil. I, 9, 2...3. Quo die populo Romano tribuni plebi restituti sunt, omnia ist... a vobis . . . adempta et erepta sunt. Verr. V, 68, 175. Saep... e obscurius positum vitium pro vero probatur, cum aut parum... n memineris, quid concesseris, aut ambiguum aliquid pro certo con... cesseris. inv. I, 47, 88. Facti suspitio confirmatur, cum et vo... luntatis in reo causae reperiuntur et facultatis. part. or. 32, 11...3. Quod (sc. transire lineas) *cum feceris, culpa commissa est. parad. III, 20. Inter conformationem verborum et sententiarum ho... c interest, quod verborum tollitur, si verba mutaris. de or... r. III, 52, 201. Quae* (voluntas studium disciplina) *tolluntur, s... si vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur. fat. 5, 11... 1. Omnis ejus modi perturbatio animi placatione abluatur illa qui... idem, cum doceas nec bonum illud esse e. q. s. tusc. IV, 28, 60... 0. Ille improbissimus Chrysogoni fautor . . . laeditur, cum ab ho... c splendore causa separatur. Rosc. Am. 49, 142; cf. Caec. 15, 42...,* quem locum supra attulimus p. 41. sq. —

Sed haud ita pauci sunt loci, in quibus ne intellegantu... r quidem eadem subjecta. Horum major pars ita est confor... mata, ut de ea re, quae secundaria enuntiatione fieri dicatur, judicium fiat n o m i n e a b s t r a c t a e n o t i o n i s. Quo in nomine cum primariae enuntiationis tota fere sententia versatur, verbo finito nihil aliud solet indicari, atque e s s e rem aut n o n e s s e aut i n c i p e r e e s s e aut d e s i n e r e. Ratio autem sententiarum in his locis omnibus ea est, de qua p. 41. c. egimus, ut primaria enuntiatione vis ac pondus indicetur secundariae enuntiationis. Cujus generis sunt haec exempla: *Nostra c u l p a f u e r i t, si te ... dimiserimus. de or. I, 22, 100. Nostra quidem c a u s a f a c i l i s e s t, qui verum invenire sine ulla contentione volumus. Ac. pr. II, 3, 7. Hoc ipso m e l i o r e s t tua quam nostra c o n d i c i o, quod tu quid doleat scribere audes, nos ne id quidem tuto possumus. fam. IV, 4, 2. Si id dolemus quod eo jam frui nobis non licet, nostrum est id m a l u m. Brut. 1, 5. Quid? cum Gabinio Syria dabatur . . ., ne tum quidem v i s e r a t? dom. 21, 55. Non igitur erat illa tum c i v i t a s, cum leges in ea nihil valebant, cum judicia jacebant e. q. s. parad. IV, 29. Nomen tantum videbitur regis repudiatum, r e s m a n e b i t, si unus omnibus reliquis magistratibus imperabit. leg. III, 7, 15. Una c o n s o l a t i o est, quod ea conditione nati sumus, ut . . . Att. XV, 1, 1. Huc si perveneris, me tibi primum quidque concedente, meum v i t i u m fuerit. Ac. pr. II, 16, 49. In quo* (sc. in generibus exponendis) *v i t i u m e s t, si genus*

ullum praetermittitur. de or. II, 19, 83. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium . . . in res obscuras . . . conferunt. off. I, 6, 19. Qui si dignum se majoribus suis praebuerit, . . . tua laus ex aliqua parte fuerit. fam. II, 18, 3. Cf. tusc. IV, 2, 4. div. I, 34, 76. Lacedaemoniis paulo ante Leuctricam calamitatem quae significatio facta est, cum in Herculis fano arma sonuerunt e. q. s. div. I, 34, 74. Porrexerunt manus; psephisma natum est. Flacc. 7, 17. Ex contrariis scriptis si quid ambigitur, non novum genus nascitur, sed superioris generis causa duplicatur. de or. II, 26, 110. Nec vero unquam bellorum civilium semen et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint et sperabunt. off. II, 8, 29. Ut non modo cum gerere coeperint, sed etiam cum constituentur (sc. decemviri), *omne vestrum jus potestas libertasque tollatur. leg. agr. II, 11, 29. (Aequitas) tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. off. II, 22, 18. Tolletur enim adpetitus animi, si . . . quemadmodum adfecti simus, nihil nostra arbitrabimur interesse. fin. V, 10, 30. Quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit in amicitia, amicitiae nomen jam occiderit. leg. I, 12, 34. Immuta paululum . . ., perierit tota res. or. 70, 232. Quod cum fit, non judicia rescinduntur, sed . . . Cluent. 41, 180. Inter hominem et belluam hoc maxime interest* (i. e. discrimen est), *quod haec . . . ad id solum quod adest . . . se accommodat . . . off. I, 4, 11.*

Admodum paucis in locis secundariae enuntiationis vis primaria ita significatur, ut propria actio proprio finito verbo, diverso subjecto fingatur, quae tamen in secundaria inclusa intellegatur. Inveni hos locos quinque: *Si ludius constitit aut tibicen repente conticuit aut . . ., ludi sunt non rite facti. har. resp. 11, 23. Si ex sententia successerit* (sc. opus), *bene erit opera posita. Q. fr. II, 14, 1. Male enim res se habet, cum quod virtute effici debet, id temptatur pecunia. off. II, 6, 22. Ego te, si quid gravius acciderit, ego te, inquam, prodidero. Flacc. 41, 103. Quae quidem comitia si gratuita fuerint, . . . plus unus Cato fuerit, quam omnes leges omnesque judices. Q. fr. II, 15b, 4 (cf. Att. IV, 15, 8).* Quibus in locis hoc tamen notandum videtur, in alterutra tantum enuntiationum agere dici personam. Sed restant loci sex, quorum in utrisque enuntiationibus personarum actiones exprimuntur. Sed oratoriam formam hi loci maxime praebent (quippe qui praeter unum sint ex orationibus) atque primariae enuntiationes re vera non proprias actiones continent, sed in his quoque aut vis ac pondus secundariae enuntiationis indicatur aut effectus

(cf. p. 41 et 48). *Brutus enim Mutinae vix jam sustinebat: qui si conservatus erit, vicimus. fam. XII, 6, 2. Numquid est causae, C. Aquili, quin, si longe aliter possedit, quam praetor edixit, . . . ego sponsione vicerim? Quinct. 27, 84. Hinc* (sc. e Graecia) *si Brutus erit traductus ad aliud bellum, Graeciam certe amiserimus. Phil. XI, 11, 26. His vos si alterum consulem tradideritis, plus multo erunt vestris sententiis quam suis gladiis consecuti. Mur. 37, 79. Utriusque temporis fructum tuli maximum; . . . posterioris, quod et senatus et populus Romanus et omnes mortales . . . judicaverunt sine meo reditu rem publicam salvam esse non posse. dom. 37, 99. Catulus cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in ipso vos spem habituros esse dixistis. imp. Pomp. 20, 59.*

Ad finem pervenimus ejus capitis, quo genera coincidentiae constituere studebamus*). Nam necessarium arbitrabamur, priusquam de temporum coincidentium sententiarum usu ageretur, quam late pateat coincidentiae vis atque notio certis quibusdam finibus quasi circumscribi.

---

*) Unum quidem genus a me omissum non ignoro, definitionum dico. Nam definitione, quaecunque notione aliqua contineantur, ea ita explicari postulamus, ut alterius partis vis cum alterius vi plane sit una eademque. Sunt igitur sententiae coincidentes. Sed cum temporum in iis paene nulla sit varietas (cum aut praesens aut futurum eadem fere vi poni soleant, ut utrumque ad omne potius tempus spectet) consulto hoc sententiarum genus removi. Sed hoc possum affirmare, eandem in definitionibus esse enuntiationum rationem atque in ceteris sententiis coincidentibus, hanc scilicet, ut de secundariae enuntiationis re primaria judicium fiat quodammodo, sive secundaria subjecti, primaria praedicati locum obtineat. Velut: *Quod semper movetur, aeternum est. tusc. I, 23, 53. Consul est, qui consulit patriae. de or. II, 39, 165. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et perfecta, lex est. leg. I, 6, 18. Cum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur. tusc. IV, 6, 13.*

Caput III.

De temporum in enuntiationibus coincidentibus usu.

Supra (p. 15 sqq.) demonstrasse nobis videmur, quarum enuntiationum sententiae essent coincidentes, earum tempora non posse non congruere. Nam si res duae in unum cadunt, non possunt tempora earum esse diversa. Atque jure L.-M. hanc statuere legem (ed. III. § 109. 1), enuntiationum coincidentium in utraque idem esse debere verborum tempus. Falso vero eosdem hanc temporum relationem sejunxisse a congruentia temporum item docebamus, p. 15—19.

Neque nos de coincidentium sententiarum temporibus nunc ita disputabimus, quasi proprius esset eorum usus, sed quaeremus, num in omnibus illis sententiis, quas aliqua ratione coincidentes recte dici proximo capite probare conati sumus, tempora inveniamus congruentia quibusque condicionibus sit concedendum, ut differant inter se temporum formae.

A.

Atque prima parte cum eos locos perlustrabimus, in quibus finita verba bina inter sese conferantur, magnam partem eorundem exemplorum, quae superiore capite, mutata ratione iterum pertractabimus. Quam ob rem paucorum locorum ipsa verba attuli plerosque numeris tantum indicavi.

I.

Qua in parte primum spectemus eos locos, quorum et secundariae et primariae enuntiationes pronuntientur modo indicativo.

1.

Atque praesentis indicativus invenitur in sententiis paene trecentis, quorum membra *pronominibus relativis* conjunguntur undeseptuagies: *Maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. am. 22, 82. 7, 23. Ac. pr. II, 12, 39. 17, 52. Brut. 6, 23. tusc. III, 5, 11. fat. 10, 21.*

de. nat. II, 9, 24. parad. II, 19. rep. III. Aug. c. d. XIX, 21. fam. XII, 4, 2. Caec. 30, 88. Mur. 37, 78. Planc. 9, 22. — *inv. I, 8, 10. II, 17, 52. fin. I, 1, 2. or. 57, 192. tusc. III, 14, 30. off. I, 9, 30. Rosc. Am. 33, 93. 38, 111. prov. cons. 2, 3. Phil. X, 4, 9.* — *tusc. IV, 18, 41. de. nat. I, 5, 10. III, 3, 8. off. III, 18, 74. am. 6, 20.* — *top. 7, 31. or. 57, 192. Ac. pr. II, 3, 7. 10, 31. fin. I, 6, 21. 14, 48. IV, 21, 59. tusc. III, 16, 34. IV, 18, 42. off. I, 25, 85. 29, 102. II, 19, 67. 22, 78. III, 5, 26. 6, 28. de. nat. I, 12, 29. II, 20, 51. div. II, 7, 18. sen. 14, 47. fat. 9, 20 (bis). leg. III, 19, 42. am. 22, 83. fam. IV, 4, 2. Rosc. C. 17, 52. 18, 53. Verr. III, 55, 128. Caec. 25, 70. Rab. 4, 11. Cat. II, 8, 18. Sull. 2, 4. dom. 37, 98. Sest. 65, 135. prov. conc. 7, 17. Mil. 4, 11, Marc. 5, 15. Phil. II, 23, 56. X, 5, 12. III, 5, 12. Generalibus pronominibus relativis* praesentia conjunguntur in locis quinque. *Ab animo tuo* **quicquid** *a g i t u r, id a g i t u r a te. tusc. I, 22, 52. Att. XIV, 1, 2. Phil. II, 44, 113. fin. V, 2, 5. off. II, 6, 21 (cf. fam. X, 24, 6. ep. Planci).* — Longe plurimi autem (centum et tres dico) sunt ii loci, in quibus particula „cum" enuntiationes connectit. *Ballionem illum improbissimum et perjurissimum lenonem* **cum** *a g i t, a g i t Chaeream. Rosc. C. 7, 20. or. 31, 110. ac. pr. II, 6, 18. tusc. I, 6, 12. 22, 52. 23, 55. II, 21, 47. IV, 25, 55. fin. II, 22, 70. III, 11, 39. de. nat. I, 43, 121. II, 32, 82. fat. 11, 24. off. I, 10, 31. Att. III, 23, 2. X, 16, 1. XIV, 6, 1. Rosc. Am. 41, 120. Verr. III, 53, 123. V, 37, 96. Caec. 13, 37. 30, 88. Phil. XI, 8, 20.* — *Praeclare f a c i s, cum . . . puerum diligis. fin. III, 2, 9. Ac. pr. II, 11, 33. 28, 90. Verr. V, 22, 58. Phil. XIV, 9, 24.* — *Cum hoc c o n f i t e r i s, id te admisisse c o n c e d i s. Quinct. 26, 81. de or. I, 57, 244. de. nat. III, 8, 21. fat. 11, 24. Verr. III, 55, 127. Caec. 17, 48. har. resp. 25, 53. Caecil. 16, 54.* — *Theophrastus mediocriterne d e l e c t a t, cum t r a c t a t locos ab Aristotele ante tractatos? fin. I, 2, 6. or. 10, 34. 31, 111. de or. II, 26, 112. 52, 209. 75, 303. III, 43, 169. Brut. 24, 92. 76, 266. part. or. 32, 113. fin. I, 1, 3. 11, 37. 17, 55. 19, 62. III, 18, 59. 20, 66. IV, 28, 78. tusc. I, 31, 75. II, 13, 30. III, 29, 71. de. nat. I, 13, 33. 24, 68. 36, 101. 44, 122. III, 24, 63. 38, 90. div. I, 25, 53. II, 10, 25. 44, 92. am. 21, 72. fat. 11, 24. 18, 41. off. I, 19, 62. II, 6, 22. III, 4, 16. rep. IV, 4, 4. fam. II, 13, 1. Att. XI, 6, 1. VIII, 14, 1. XII, 39, 2. Rosc. Am. 19, 54. 21, 58. 49, 142. Rosc. Com. 5, 13. Tull. 11, 28. Caecil. 13, 42. Verr. II, 60, 148. 64, 155. III, 41, 96. 74, 172. Rab. 6, 18. Sull. 2, 4. 13, 39. Caec. 27, 79. 34, 99. Cluent. 41, 116. 47, 132. Cat. I, 8, 21. Flacc. 14, 33. har. resp.*

18, 39. leg. agr. II, 14, 35. Balb. 16, 36. Pis. 7, 14. Phil. I, 9, 23. VIII, 3, 8. XIII, 18, 39. XIV, 9, 24. — „Si" tempora praesentia indicativi conjungit in locis quadraginta tribus. ***Si** in hoc e r r o . . . libenter e r r o. sen. 23, 85. — de. nat. II, 30, 77. leg. III, 13, 30. Sest. 54, 115. Mil. 8, 21. Caec. 13, 37. 24, 68. Brut. 84, 291. — tusc. I, 31, 75. Q. fr. I, 2, 7. Att. III, 14, 1. Rosc. Am. 50, 146. Flacc. 17, 41. Cael. 13, 32. Phil. XIV, 7, 18. — Brut. 1, 5 (bis). de or. I, 46, 203. II, 19, 83. 26, 110. III, 49, 188. tusc. I, 36, 88. am. 9, 29. off. II, 12, 43. 22, 78. Att. X, 9 A. 1. II, 1, 6. fam. III, 8, 5. Rosc. Am. 43, 124. 50, 145. Verr. I, 9, 25. Caec. 25, 70. 29, 83. leg. agr. I, 9, 27. Cat. II, 3, 6. IV, 3, 6. Cluent. 50, 139. Mur. 7, 15. Sull. 3, 8. Flacc. 27, 65. Arch. 10, 23. post. red. II, 8, 19. Phil. I, 14, 33.* — Totidem fere in locis invenitur *q u o d* (= dass). *Bene f a c i s, **quod** me a d j u v a s. fin. III, 4, 16. fam. XI, 21, 4. Att. XII. 21, 5. I, 20, 2. de or. II, 19, 83. 86, 350. am. 2, 9. leg. I, 24, 63. fam. XII, 17, 3. Q. fr. II, 15, 2. Att. VII, 3, 3. VIII, 2, 2. XI, 7, 7. XII, 14, 3. 43, 1. XV, 17, 2. 27, 1. — de or. I, 8, 32. II, 18, 76. 19, 83. fin. IV, 16, 43 (bis). am. 7, 23. sen. 2, 5. div. II, 46, 97. leg. II, 10, 25. 11, 27. 23, 58. 24, 61 (bis). III, 14, 32. off. I, 4, 11. 14, 44. III, 5, 26. fam. I, 9, 1. IV, 4, 2. Q. fr. III, 8, 3. Att. III, 7, 2. IV, 6, 1. XVI, 3, 1. Verr. III, 68, 159. 157. Mur. 36, 77. Planc. 28, 68. ep. ad Brut. I, 2, 2.* — Tredecies invenitur *d u m*, semel *q u a m d i u*. *Urbem philosophiae p r o d i t i s, **dum** castella defenditis. div. II, 16, 37. — Caecil. 16, 53. de or. II, 24, 101 (bis). III, 17, 62. Ac. pr. II, 6, 18. fin. II, 6, 18. 33, 108. IV, 28, 78. de. nat. I, 25, 71. div. II, 16, 37. fat. 17, 39. Att. XIV, 15, 2. Qui* (sc. motus) ***quamdiu** r e m a n e t in nobis, tam diu sensus et vita remanet. de. nat. II, 9, 23.* Cf. locum a Cicerone allatum ex vetere tragoedia de or. III, 39, 158: *Quandoquidem is se circumvestit dictis, saepit se dolo.* — Conjunctiones causales *(quia, quod, quoniam)* inveniuntur in locis septem, concessivae in duobus. *Peccata, **quia** d i s c r e p a n t, aeque d i s c r e p a n t. fin. IV, 27, 75. off. I, 9, 29. — de or. II, 38, 159. fam. V, 20, 4. Agit liberaliter, q u o n i a m negat se quicquam facturum contra nostram voluntatem. Att. VIII, 6, 2. XIII, 1, 2. de or. II, 38, 159.* — ***Etiamsi** p e c c a t, magis ineptiis quam improbitate p e c c a t. fam. XIII, 1, 4. Att. XII, 20, 1.* — Denique praesentia indicativi exstant in *c o o r d i n a t i s* sententiis undecim. *Laudas Milonem e t jure l a u d a s. Sest. 40, 86. At q u e r i t u r; impudenter f a c i t. Flacc. 24, 57. Tull. 34. Verr. I, 5, 13. III, 59, 135. 60, 139. inv. I, 18, 26. de. nat. II, 9, 24. Caec. 13, 37. 34, 100. 33, 96.*

2.

P e r f e c t a in enuntiationibus r e l a t i v i s inveniuntur sexagies. *Id* ***quod*** *d i x i t, quanto cum pudore . . . d i x i t. Flacc. 4, 10. Brut. 6, 23. 74, 258. de or. II, 6, 24. tusc. I, 39, 94. de. nat. III, 28, 70. Q. fr. I, 2, 2. 2, 13. III, 9, 1. Att. VII, 1, 7. Verr. I, 14, 37. IV, 58, 131. Scaur. 16, 37. — fin. V, 26, 77. off. I, 19, 62. Rosc. Com. 17, 53. 18, 53. — (Dignitatem) m i n u i t is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem v o c a v i t. part. or. 30, 105. Is enim profecto mortem a t t u l i t, qui causa mortis f u i t. Phil. IX, 3, 7. Ac. pr. II, 14, 45. Sull. 31, 87. leg. II, 11, 26. — de or. II, 12, 53. II, 28, 124. 39, 164. 54, 217. 82, 336. Brut. 73, 255. top. 10, 45. 20, 75. or. 34, 120. 64, 218. 65, 219. fin. I, 1, 2. tusc. I, 1, 1. 45, 109. de. nat. I, 10, 23. div. II, 54, 110. sen. 8, 26. fat. 19, 43. parad. 2, 24. off. I, 8, 26. III, 13, 55. fam. VII, 2, 3. Rosc. Com. 9, 25. Verr. act. I, 15, 24. Verr. II, 47, 118. V, 68, 175. Caec. 23, 66. leg. ag. I, 7, 23. Rab. 4, 11. Mur. 23, 47. 38, 81. Sull. 31, 87. dom. 26, 68. 30, 80. Mil. 6, 15. Marc. 6, 18. Phil. III, 5, 12. XIV, 8, 22. — G e n e r a l i a p r o n o m i n a r e l a t i v a* hujus generis sententias conjungunt septies: *Hoc,* ***quidquid*** *a t t i g i, non f e c i inflammandi tui causa. fam. II, 4, 2.* In reliquis locis sex et in primaria et in secundaria enuntiatione idem est verbum finitum. *M. Piso quidquid h a b u i t, h a b u i t ex disciplina. Brut. 67, 236. 77, 268. Verr. III, 93, 217. leg. ag. I, 7, 20. Rab. Post. 8, 21 (bis).* — Conjunctio *c u m* est in locis quinquaginta quattuor. *Philosophia* ***cum*** *universam aegritudinem s u s t u l i t, s u s t u l i t etiam, si quis, error alicunde exstitit e. q. s. tusc. III, 34, 82.* (quem locum sic recte sine dubio scripsere et Orellius et Baiter ex Keilii conjectura, quaestt. Tull. spec. p. XVIII, qui addidit alterum „sustulit"). *Loco ille m o t u s e s t, cum est ex urbe e x p u l s u s. Att. XIV, 10, 2. cf. Cat. II, 1, 1. de. nat. I, 43, 121. Dej. 13, 36. Phil. III, 5, 13. — fam. XV, 21, 2. XVI, 16, 1. — Nec enim Herculi nocere Deianira v o l u i t, c u m ei tunicam d e d i t. de. nat. III, 28, 70. Cum tu timidus . . . lauream ad portam Esquilinam a b j e c i s t i, i n d i c a s t i . . . laudi lauream concessisse. Pis. 30, 74. Brut. 60, 216. tusc. II, 12, 28. de. nat. III, 30, 74. div. I, 34, 74. fam. XI, 29, 2. XV, 7. Att. II, 15, 3. VII, 3, 5. VIII, 12, 2. Rosc. Am. 14, 39. Rosc. Com. 5, 13. 18, 55. Verr. I, 6, 15. III, 76, 177. IV, 17, 37. V, 23, 59. imp. Pomp. 20, 59. Cluent. 51, 142. Rab. 12, 32. Cat. I, 10, 27. II, 1, 1. Mur. 27, 57. Sull. 24, 68. 29, 81. dom. 4, 9. 21, 54. Sest. 52, 111 (bis). 69, 145. prov. cons. 11, 27. Pis. 3, 7. 30, 73. 40, 97. Mil. 37, 103. Marc. 5, 13. Phil. V,*

14, 38. 39. VII, 3, 10 (bis). 4, 11. 4, 13. IX, 3, 7. XI, 12, 28. 14, 35. — *Conditionales sententias* perfecto tempore pronuntiatas inveni quinque et viginti. ***Si** vi dejeci M. Claudium, dolo malo dejeci; in vi enim dolus inest. Tull. 12, 39. Brut. 2, 7. Tusc. IV, 23, 52. de. nat. III, 27, 70. 30, 75. am. 3, 10. Verr. V, 6, 13. Rab. 10, 28. dom. 17, 45. Phil. II, 27, 67. XI, 13, 34.* — *de. nat. II, 4, 12.* — *Rosc. Am. 37, 108. Mur. 35, 73.* — *Num igitur se astrinxit scelere, si qui tyrannum occidit. off. III, 4, 19. Si significavi, non dico fui inconstans sed demens. Att. IX, 10, 6* (ex conj. Baiteri qui addidit „si"). *fin. I, 8, 26. div. II, 37, 79. fam. VII, 1, 3. Rosc. Com. 4, 10. Verr. IV, 11, 25. V, 32, 84. Rab. 10, 28. dom. 52, 134. har. resp. 11, 23.* — *Quod* conjunctio, quam vernacula lingua vertamus *dass*, in hoc genere invenitur quater et tricies. *Mur. 3, 5.* — *Mil. 8, 22.* — *Fecisti mihi pergratum, **quod** Serapionis librum ad me misisti. Att. II, 4, 1. Tusc. IV, 30, 64. fam. XIV, 8. Q. fr. II, 1, 1. Att. VI, 1, 22. VII, 7, 1. VIII, 15, A. 2. XII, 44, 3. XIV, 16, 4. (ib. XIII, 6, 2. XVI, 3, 1* in his locis duobus mente cogitandum est „fecisti", quod scriptum non exstat). *Accidit perincommode, quod eum nusquam vidisti. Att. I, 17, 2. de or. II, 4, 15.* — *Non minuit majestatem, quod egit de Caepione turbulentius. part. or. 30, 105, inv. II, 17, 52. Ac. post. I, 9, 33. Ac. pr. II, 6, 16. tusc. I, 21, 49. div. II, 31, 67. Att. VI, 1, 8. fam. IV, 4, 3. VII, 2, 1. leg. ag. II, 33, 91. Rab. 9, 26. Cat. IV, 3, 5. Mur. 10, 23. Flacc. 28, 69. post. red. I, 13, 33. dom. 37, 99. har. resp. 9, 19. Phil. II, 9, 23.* — Ceterae conjunctiones inveniuntur *dum* quater, *quamdiu* bis, *quotiescunque* bis, *quod* causale quater, *quoniam* semel. ***Dum** Cyri et Alexandri similis esse voluit, . . . et L. Crassi et multorum Crassorum inventus est dissimilis. Brut. 81, 282. 75, 262. Mur. 27, 55. Att. I, 16, 2. Quamdiu vixit, vixit in luctu. tusc. III, 31, 75. de or. II, 23, 94. Legem quidem istam nullam esse, quotiescunque de me senatus sententiam dixit, totiens judicavit. dom. 26, 69. fam. XIII, 69, 1. Dupliciter delectatus sum tuis litteris, et quod ipse risi et quod te intellexi jam posse ridere. fam. IX, 20, 1. V, 18, 1. XI, 28, 1. Planc. 36, 89. Cepi fructum . . . reversionis meae, quoniam et ea dixi, ut . . . exstaret constantiae meae testimonium, et sum a vobis benigne et diligenter auditus. Phil. I, 15, 38.* — Denique *coordinantur* sententiae, quibus perfecta contineantur, bis et vicies. *Fecit perite et callide: volumen ejus rerum gestarum maximum isti ostendit. Verr. I, 38, 97. Cn. Pompejus rogatione sua et de re et de causa judicavit: tulit enim de caede . . . Mil. 6, 15.*

Vertit stilum in tabulis suis; quo facto causam omnem evertit suam. Verr. II, 41, 101. inv. I, 22, 31. de or. II, 36, 153. am. 11, 37. fam. XI, 21, 1. Att. XIII, 42, 1. Verr. I, 28, 71. II, 1, 1. 55, 138. IV, 7, 16. Caec. 16, 47. Mur. 22, 46. Sull. 15, 42. Flacc. 7, 17. dom. 9, 23. post. red. I, 11, 27. Cael. 31, 76. Lig. 5, 14. Phil. XI, 8, 19. ep. ad. Brut. I, 9, 2.

3.

Ut in altera enuntiationum perfectum in altera praesens tempus inveniatur, in coincidentibus sententiis aut ita potest fieri, ut perfectum sit perfectum praesens, quod dicunt, aut ita, ut praesenti tempore res praeteritae narrentur, quod historicum dicunt grammatici.

a.

Perfectum praesens cum praesenti conjunctum non inveni praeter in his locis: *Quid quisquam meminit, quod non animo comprehendit et tenet?* Ac. pr. II, 7, 22. *Si neque censu nec vindicta nec testamento liber factus est, non est liber.* top. 2, 10. *Nullum est meum peccatum, nisi quod iis credidi.* Q. fr. I, 4, 1.

b.

Praesens historicum (quo nomine etiam id complector, quo verba alicujus vel scripta vel dicta afferantur cf. L.-M. V. § 116. Anm. 5) cum in primaria enuntiatione sit perfectum, quinquies exstat antecedente conjunctione *dum*. *Arcesilas Zenoni . . . obtrectans . . ., dum hujus definitiones labefactare volt, conatus est clarissimis rebus tenebras obducere.* Ac. pr. II, 6, 16. *Vos autem, dum illi placere voltis, ad tempus ejus mendacium vestrum accommodavistis.* Cael. 7, 17. *Dum illum rideo, paene sum factus ille.* fam. II, 9, 2. — Caecil. 17, 56. Verr. II, 17, 42. Ejusdem generis in exemplis conjunctio *cum* invenitur semel, semel *quod*. *Alio modo transtulit, cum dicit Ennius „arce et urbe orba sum“* ... or. 27, 93. *Quod vero actoris jubeo esse fraudem, id totum dixi ex Crassi . . . sententia.* leg. III, 19, 42. Uno in loco in primaria enuntiatione praesens historicum, in secundaria perfectum exstat, hunc dico: *Quod questus es pluris te testis habere de Voltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris, indicas aut eos testis te producere, qui . . . aut . . .* Planc. 22, 54.

4.

Imperfecta et in primariis et in secundariis enuntiationibus leguntur in locis fere quadraginta, quorum in locis triginta conjunctione *cum* enuntiationes conjunguntur. Qua ex re Madvigium (§ 358, Anm. 2), quem sequitur Heraeus (§ 205. 6), errare apparet, qui dicat: „Quum in der Bedeutung

indem (dadurch, dass) steht mit dem Indicativ des Präsens und des Perfectums . . . aber mit dem Conjunctiv des Imperfectums". *(Tribuniciam potestatem)* ***cum*** *p o s c e b a t* (sc. populus Romanus) . . . *re vera judicia p o s c e b a t. Verr. act. 1, 15, 44. III, 48, 115. Flacc. 33, 83. — Majus quiddam v i d e b a m, cum c e n s e b a m oratorem . . . nullius ornamenti expertem esse oportere. de or. I, 62, 264. Cui cum imperium d a b a m u s, eodem tempore etiam spem ejus nominis (sc. imperatoris) deferebamus. Phil. XIV, 10, 28. cf. Ac. pr. II, 12, 37. fam. VI, 2, 2. Verr. V, 68, 176. Lig. 6, 18. — sen. 6, 15. — Vehementer e r r a b a s, cum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum sociorum innocentium sanguine eluere a r b i t r a b a r e. Verr. V, 46, 121. Cum tibi haec verba r e c i t a b a n t „clarissimum virum" e. q. s., mihi crede l u d e b a n t. Flacc. 31, 76. Cum c r e d e b a t inductus usuris, id a g e b a t ut haberet quam plurimum. Rab. Post. 14, 39. Tum, cum vigilando n e c a b a t u r, e r a t in meliore causa, quam . . . off. III, 27, 100. Cum e x h a u r i e b a s aerarium, cum o r b a b a s Italiam juventute, cum mare vastissimum hieme t r a n s i b a s, si triumphum contemnebas, quae te, praedo amentissime, nisi praedae ac rapinarum cupiditas tam caeca r a p i e b a t? Pis. 24, 57 (cf. p. 50). cf. or. 1, 14, 62. Ac. pr. II, 28, 89. parad. IV, 27. fam. I, 9, 5. VI, 1, 5. Tull. 39. Cat. III, 7, 16. Flacc. 31, 76 (iterum). dom. 21, 54. 55. Cael. 24, 59. Pis. 1, 2. 33, 82. ep. ad Brut. I, 15, 8.* Huc pertinere censeo etiam hunc locum: *Quam postea tu tibi defensionem r e l i n q u e b a s, in ea maxime offendisti, cum tuam auctoritatem tute ipse edicto provinciali r e p u d i a b a s. Verr. I, 44, 112,* quem locum explicavimus p. 46.

Ejusdem generis in locis *p r o n o m e n r e l a t i v u m* sententias conjungit semel, *q u o d* conjunctio quater, totidem *d u m*, semel *e t i a m s i*, *c o o r d i n a n t u r* sententiae quater. *Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore: quorum alii . . . n e g a b a n t mirandum esse jus tam nequam esse verrinum, alii e. q. s. Verr. I, 46, 121. D i s c r e p a b a t ab isdem, quod nullo modo a r b i t r a b a t u r quicquam effici posse ab ea. ac. post. I, 11, 39. cf. de or. 1, 14, 62. ep. ad. Brut. I, 15, 2. 18, 3. — Dum d u b i t a b a m, quam ducerem, non satis f a c i e b a m matri. Att. XIII, 42, 1. Dum illud t r a c t a b a m, de quo ad te ante scripsi, quasi f o v e b a m dolores meos. Att. XII, 18, 1. — Quae omnia etiamsi voluntate Dolabellae f i e b a n t, per istum* (sc. Verrem) *tamen omnia g e r e b a n t u r. Verr. I, 38, 95. — A i e b a t se tantidem aestimasse, quanti Sacerdotem, neque mentiebatur. Verr. III, 92, 215. P a r c e b a t adversarii dignitati, in quo c o n s e r v a b a t suam. de or. II, 54, 221. cf. Sull. 17, 49. Phil. II, 34, 86.*

5.

Plusquamperfecta exstant in locis quinque, quorum in duobus pronomine *relativo*, in duobus particula *cum*, in uno particula *enim* sententiae conjunguntur. *(Sexcenos nummos) qui dederat, commeatum totius aestatis abstulerat. Verr. V, 25, 62. Eos* (sc. judices), *qui erant antea dati* (a te sc.), *utriusque dederas voluntate. ib. II, 18, 44. — Exspectationem nobis non parvam attuleras, cum scripseras... Att. III, 18, 1. Ad suam enim quandam magis ille gloriam quam ad perspicuam salutem rei publicae eam* (add. Kayser, sc. causam) *sumpserat, cum unus in legem per vim latam jurare noluerat. Sest. 16, 37. — Coepi secus agere atque initio dixeram, — negaram enim hanc primam partem egere oratione. de. nat. II, 9, 23.*

Restant tres loci singulares, in quibus quamquam coincidentes sententiae continentur, tamen temporum formae non congruunt. Quorum in uno secundaria enuntiatio imperfectum, primaria perfectum habet, dico hunc locum: *O Q. Catule, ... tantumne te fefellit* (i. e. adeone erravisti), *cum mihi summa et cotidie majora praemia in republica fore putabas? dom. 43, 113.* Quo in loco rerum coincidentiam (— nam is erat Catuli error, quod illud fore putabat —) apparet designatam non esse verborum formis. At nihilominus, cum quaevis res praeterita, prout orator eam vult accipi, et perfecto et imperfecto possit dici (cf. Krüger § 446. Anm. 1), statuendum est et illo perfecto *(fefellit)* et imperf. *(putabas)* sicut eandum rem, ita idem intelligi tempus. Neque aliter judicandum videtur de hoc loco, in quo cum plusquamperfecto jungitur perfectum: *Satis magnum ceperam fructum, cum vos universi una mente atque voce iterum a me conservatam esse rem publicam conclamastis. Phil. VI, 1, 2.* (cf. p. 61. Phil. I, 15, 38; p. 56: dom. 37, 99). Nam perfecto *conclamastis* libere et absolute posito alterius temporis ratio non habetur. Sentiri igitur potius congruentiam temporum oportet, cum verborum formis non sit expressa. Tertius hic est: *Maxime vellem primum semper tecum fuissem, quod quidem tibi ostenderam, cum a me Capuam rejiciebam. Att. VIII, 11, D. 5.* In hoc loco sententiarum alteram altera contineri notavit etiam Hofmannus (l. l. p. 102). Atque apparet plusquamperfectum *ostenderam* non antecedens imperfecto *rejiciebam* tempus significare, cum sine dubio verbum *rejiciebam* referendum sit ad verbum *ostenderam*, non contra. Sed antecedit verbi *ostenderam* tempus ei tempori, quod verbo *vellem* indicatur. Imperfecto autem *rejiciebam* idem tempus, quod plusquamperfecto *ostenderam* intelligitur. (cf. L. M.-III.

§ 103, 2. c.). Idem igitur tempus eandemque rem intelligi his tribus in locis verborum formae concedunt, non postulant, dissimulant, non repugnant.

6.

F u t u r a et in primariis et in secundariis enuntiationibus imprimis exstant in sententiis *c o n d i t i o n a l i b u s*, cujus generis inveni plus triginta. *Sapientem . . . voluptatem petere si d i c e m u s, mellis causa d i c e m u s tanta molitum. fin. II, 34, 112. Si quando e r i t civitas, e r i t profecto nobis locus. fam. II, 16, 6. de or. II, 38, 159. fin. V, 28, 86. tusc. I, 22, 53. Tull. 5. Verr. IV, 11, 25. Phil. VI, 7, 19. VIII, 2, 4. Att. 1, 19, 10. III, 9, 3.* — *Ac. pr. II, 14, 44. de. nat. II, 34, 87. Caec. 16, 47.* — *Si iste Italiam r e l i n q u e t, f a c i e t omnino male. Att. IX, 10, 4. fam. III, 10, 1. V, 17, 4. X, 27, 2. XI, 6, 1.* — *Multum p r o f i c i e t, si se misericordem . . . fuisse o s t e n d e t. inv. II, 35, 107. Quam (sc. formulam) si s e q u e m u r in comparatione rerum, ab officio nunquam r e c e d e m u s. off. III, 4, 19. de or. I, 15, 68. fin. II, 27, 88. IV, 15, 40. V, 10, 30. tusc. III, 18, 42. off. I, 7, 21. leg. III, 7, 15. Verr. V, 51, 135. Cat. IV, 11, 23. Mur. 28, 60.* Accedit unus locus in quo pro futuro est gerundivum praesentis, cui futuri vim inesse constat. *Amicissimi hominis existimatio o f f e n d e n d a est, si illam accusationis condicionem s e q u a r. Planc. 2, 6.* — *P r o n o m i n e r e l a t i v o* futura conjunguntur in locis duobus. *Qui e x i s t i m a b i t posse se miserum esse, beatus non e r i t. fin. II, 27, 87. V, 28, 86.* — *G e n e r a l i a p r o n o m i n a* invenimus in locis quattuor. *Apud quem quidquid v a l e b o vel auctoritate vel gratia, v a l e b o tibi. fam. VI, 6, 13. II, 11, 1. Vat. 5, 13. Pharnaces, quoquo modo a g e t, a d f e r e t moram. Att. XI, 22, 2. C u m* legitur in locis septem. *Cum tabella vobis d a b i t u r, judices, non de Flacco d a b i t u r solum. Flacc. 39, 99. inv. I, 40, 75.* — *Tull. 5.* — *Non f a c i e s fidem scilicet, cum haec d i s p u t a b i s. Pis. 25, 59. inv. I, 43, 81. Cat. III, 12, 27. fam. VI, 4, 5.* — Cf. etiam *Marc. 7, 22: A u g e a m u s sane suspitionem tuam: s i m u l e n i m a u g e b i m u s diligentiam* (i. e. cum suspitionem tuam augebimus, augebimus diligentiam). — *C o m p a r a t i v a e* sententiae duae huc pertinent hae: *Quotiens eorum quippiam d i c e s, totiens unum d i c e s illud, temere hunc pecuniam regi credidisse. Rab. Post. 9, 25. Marc. 6, 19.* — Restant hi loci: *Nec vero unquam bellorum civilium semen et causa d e e r i t, d u m homines perditi hastam illam cruentam et meminerint et s p e r a b u n t. off. II, 8, 29. Quod e t i a m s i palam in defendendo non d i c e t Hortensius, tamen ita d i c e t, ut vos id suspicari et cogitare possitis. Verr. III, 96, 223.*

7.

Admodum paucae sunt sententiae coincidentes, in quibus praesentia cum futuris conjungantur. Atque tres locos inveni, quorum in primariis sententiis sunt futura, in secundariis iisque conditionalibus praesentia. Conditionalem autem sententiam, etsi praesenti tempore pronuntietur, tamen ad futurum tempus referri consentaneum est (cf. L.-M. V. § 100, Anm. 3). Dico hos locos: *De pecunia vides a te omnem diligentiam adhiberi . . ., quod si efficis, a te hortos habebo. Att. XIII, 1, 2. Cui* (sc. puero) *si patrem conservatis, qualis ipse debeat esse civis praescribetis; sin eripitis, ostendetis bonae rationi et constanti et gravi nullum a vobis fructum esse propositum. Flacc. 42, 106. Si ista* (i. e. aegritudo) *perturbare animum sapientis non potest, nulla* (sc. perturbatio) *poterit. tusc. IV, 5, 8.* Ab his locis tribus discrepat unus, cujus primaria enuntiatio habet praesens, altera futurum, qui sic legitur fat. 5, 11: *(Voluntas, studium, disciplina) tolluntur omnia, si vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur.* Quo in loco cum communis sit sententia, quae non ad certum tempus pertineat, eadem fere vis et praesenti esse et futuro videtur; id quod in definitionibus saepius fieri indicavimus supra p. 56, ann. *(cf. inv. I, 16, 22. 45, 84. II, 5, 18. 12, 41).*

8.

Futura exacta, quae dicuntur, in locis plus centum legimus. Quorum duodenonaginta *conditionales* habent sententias. *Satis te mature videro, si plane confirmatum videro. fam. XVI, 4, 1. II, 18, 3. Tull. 52. Caec. 30, 87. Phil. I, 15, 38. fin. V, 16, 45. — de or. III, 14, 55. inv. II, 48, 143. — Perbelle feceris, si ad nos veneris. Att. IV, 4b, 1. Gratissimum mihi feceris, si ad eum ultro veneris eique pollicitus eris. fam. VII, 21. At si restitero et fuerit nobis in hac parte* (i. e. Caesaris) *locus, idem fecero, quod in Cinnae dominatione L. Philippus. Att. VIII, 3, 6. fin. II, 18, 59. off. III, 6, 30. 13, 54. am. 4, 16. rep. I, 21, 34. Rosc. Am. 45, 130. fam. II, 19, 2. III, 3, 2. 9, 2. XII, 27. XIII, 4, 3. 15, 3. 22, 2. 23, 2. 25. 26, 3. 36, 2. 38. 40. 44. 47. 61. 64, 1. 2. 67, 2. 70. 71. 74. 77, 2. XV, 8. Att. I, 20, 7. X, 3. XIII, 21, 4. XVI, 2, 5. sen. 2, 6. fam. XIII, 17, 3. 33. 60, 2.* (de his locis quattuor cf. p. 37 sq.) — *Haud ergo, ut opinor, erravero, si a principe investigandae veritatis hujus disputationis principium duxero. de. nat. II, 21, 57. Vicerit enim, si consul factus erit. Att. VII, 15, 3. Profecto aliquid profecero, si id acciderit (i. e. si te videro). Att.*

XI, *22*, *2*. *de or. I*, *47*, *205*. *Ac. pr. II*, *16*, *49*. *26*, *84*. *36*, *116*. *tusc. III*, *32*, *77*. *div. II*, *15*, *34*. *off. III*, *6*, *31*. *rep. I*, *46*, *70*. *leg. I*, *12*, *34*. *Tull. ap. Jul. Victor.* 6, *6*. *p. 224*. *ed. Or. Caec. 30*, *87*. *Cat. II*, *5*, *11*. *IV*, *6*, *11*. *Mur. 37*, *79*. *Flacc. 41*, *103*. *Mil. 36*, *99*. *Phil. VII*, *9*, *26*. *XI*, *11*, *26*. *XII*, *6*, *13*. *fam. X*, *14*, *2*. *XI*, *27*, *8*. *XIII*, *29*, *8*. *XVI*, *1*, *2*. *4*, *3*. *Q. fr. II*, *14*, *1*. *15 b*, *4*. *Att. II*, *21*, *6*. *24*, *5*. *IV*, *15*, *8*. *VII*, *3*, *10*. *VIII*, *12 A*, *4*. *XII*, *37*, *4*. *XIII*, *1*, *3*. *XV*, *14*, *3*. *fam. XIII*, *8*, *3*. (de hoc loco cf. p. 47.) — Conditionalis sententia etiam hoc loco continetur: *Assensus ero, ambitionem induxero in curiam. Phil. XI*, *8*, *19*. — Praeterea particula *cum* futura exacta conjunguntur in his locis novem: *Cum de causa dixero, in qua inest propositum, de utroque dixero. part. or. 3*, *9*. *Att. XI*, *7*, *4*. *fat. 11*, *26*. *Caecil. 7*, *23*. *De qua* (epistula) *cum dixero, totum hoc crimen decumanum peroraro. Verr. III*, *66*, *154*. *Quinct. 10*, *36*. *Lig. 12*, *36*. *rep. II*, *28*, *50*. *fam. VII*, *17*, *2*. *Pronomina relativa* simplicia enuntiationes conjungunt sexies, *generalia* bis. *Qui enim M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit. fam. X*, *13*, *2*. *X*, *19*, *2*. *XI*, *12*, *2*. *Or. 69*, *231*. *de or. II*, *8*, *32*. *Tim. 12*. *Mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, ne recusanti quidem evenerit. parad. II*, *17*. *fin. III*, *3*, *10*. — Duobus in locis pro futuro exacto in primaria sententia invenitur perfectum, quo certius aliquid factum fore dicatur, dico hos: *(Brutus) si conservatus erit, vicimus. fam. XII*, *6*, *2*. *Quod* (i. e. tamquam transire lineas) *cum feceris, culpa commissa est. parad. III*, *1*, *20*. (i. e. culpam commiseris.) — (Cf. L.-M. III, § 101, Anm. 2.)

Quod vero Gossravius (l. l. § 460) in talibus, velut *mihi gratissimum feceris, si intellexero*, id quod secundaria enuntiatione fieri dicatur, antecedere putat ei rei, quae primaria exprimatur, errare mihi videtur. Nam etsi potest futuro exacto tempus indicari antecedens alteri futuro exacto, tamen longe plurimis in locis, quorum sunt omnes illi plus centum, quos modo attuli, binis futuris exactis congruentia tempora significantur; neque possunt tempora non congruere, cum actiones sunt coincidentes.

9.

Quinque in locis binae enuntiationes ita coordinantur, ut in altera imperativus, in altera futurum exactum sit. Dico hos locos: *Tolle hanc opinionem* (sc. mortuos orbatos esse vitae commodis), *luctum sustuleris. tusc. I*, *13*, *30*. *Tolle hanc spem, tolle hoc praesidium civibus Romanis*,

constitue nihil esse opis in hac voce, civis Romanus sum: . . . jam omnes provincias . . . civibus Romanis ista defensione praecluseris. Verr. II, 65, 168. Da mihi hoc: jam tibi maximam partem defensionis praecideris. ib. II, 62, 151. Immuta paululum, . . . perierit tota res. or. 70, 232. Imperti etiam populo potestatis aliquid . . . non satiaris eum libertate, sed incenderis cupiditate libertatis. rep. II, 28, 50. Sextum his adjungendum puto hunc locum: *Quid facit causam? quod rei publicae causa* (sc. Opimius Gracchum interfecit). *Hoc tolle, causa non erit. de or. II, 30, 132.* Nam haec verba *causa non erit* idem valent quod *causa sublata erit* vel *causam sustuleris* (cf. supra tusc. I, 13, 30). Omnibus his locis conditionales sententiae continentur. Atque cum omnem imperativum ad futurum tempus aliquod spectare constet, illa verba videntur hanc vim habere: *si hanc opinionem tolles, luctum sustuleris* et similiter cetera. Qua de re conferri potest hic locus: *Si tibi unum hoc detrahi potest . . ., permultum erit ex maerore tuo deminutum. fam. V, 16, 5.* Nam hoc *detrahi potest* ad futurum tempus similiter refertur atque illud *tolle.* Etiam ex Bruti epistola, quae est inter Ciceronis ad fam. XI, 4 hic locus huc pertinet (§ 2): *Quod cum facies, ex magna parte communi commodo inservieris:* ubi Ernestius conjecit *feceris.* Praeterea raro futurum exactum cum simplici ita compositum videmus, ut futurum exact. sit in secundaria enuntiatione conditionali, simplex in primaria, sententiae vero nihilominus sint coincidentes; neque plus tres locos inveni hos: *Demonstrandum est non esse popularis omnis eos, qui putentur: id facillime consequar, si universi populi judicium verum ct incorruptum . . . expressero. Sest. 57, 119. Nihil errabis, si paullo diligentius . . ., Athenodorus . . . quid de his rebus dicat, attenderis. fam. III, 7, 5. Velim efficias, ut ille genere mearum litterarum incredibili quiddam perfectum arbitretur. Id facies, si omne genus liberalitatis . . . exprompseris. fam. XIII, 6, 4.*

Ubicunque autem coincidentes sententiae altera futuro simplici, altera fut. exacto pronuntiantur, utroque idem tempus indicari necesse est. Atque etiam in iis locis fere omnibus, in quibus et primariae et secundariae en. habent fut. exactum, (velut *perbelle feceris, si ad nos veneris* cf. p. 66. 8) futuri exacti vim haud ita longe differre a simplicis futuri notione apparet. Qua re conferri licet futurum exactum, quod est in locis hujus modi: *post videro, alias videro* aliis. Sed quod viri grammatici etiam hunc usum ex ea futuri exacti notione deducere conantur, qua perfectam in futuro tempore

actionem significat, mihi quidem secus videtur. Nam etiamsi in nonnullis locis aut status quidam, qui actione erit effectus et diutius manebit, exprimatur (velut in hoc: *qui Antonium oppresserit, bellum confecerit* i. e. Antonii oppressor, ut ita dicam, belli confector erit) aut certo ac sine dubio celeriterque aliquid fore dicatur (ut in hoc Terentii *si pergis, abiero*), tamen nostrorum locorum ad plerosque neutrum pertinere videtur. Atque G. T. A. Krueger (Lat. Gramm. 1842. § 449. II. ad ann. 3), futurum exactum cum simplici conjungi haud inepte admonet in his locis: *Et me hac suspicione exsolvam, et illis morem gessero. Ter. Hec. IV, 2, 23* (597). *Tuque ipse et ex ejus observantia gratissimi hominis et ex sociorum gratia . . . maximum fructum capies, et me summo beneficio affeceris. fam. XIII, 64.* Addi possunt haec: *Hac re et te omni turba evolves et illi gratum feceris. Ter. Eun. 723. At si corrigitur, quot commoditates vide: Principio amico filium restitueris, Tibi generum firmum et filiae invenies virum. id. Andr. 569. Omnia si dederis oscula, pauca dabis. Propert. III, 7, 50, cf. Ter. Ad. 818 sq. 978 sq.* In his locis neque statum futuro exacto magis quam simplici indicari, neque ea quae futuro exacto dicantur, certius fore quam ea quae futuro significentur, quis est qui neget? Quae cum ita sint, mihi quidem talibus in locis futurum exactum neque perfectam neque imperfectam actionem exprimere videtur, sed absolutam futuri notionem habere, idemque tum futurum exactum in futuro tempore valere, quod perfectum historicum in praeterito. Atque cum futurum simplex possit continuam actionem indicare, Romani ubicunque eam intelligi noluerunt, futuro exacto mihi usi videntur. Quam opinionem meam uno Terentii loco confirmari puto, qui est *Andr. 398 Alia otiosus quaeret: interea aliquid acciderit boni.* Quae verba si ad praeteritum tempus transferamus, sic sint mutanda: *Alia otiosus quaerebat: interea aliquid boni accidit. cf. fam. III, 6, 5. Quotidie te ipsum exspectabam, cum interea ne litteras quidem ullas accepi.* Itaque cum illis *Nihil errabis, si . . . attenderis. (fam. III, 7, 5)* vel melius etiam cum Bruti illo: *Quod cum facies, . . . inservieris (fam. XI, 4, 2)* comparandum puto eum locum, quem supra attulimus (p. 64): *O Q. Catule . . . tantumne te fefellit, cum . . . putabas? dom. 43, 113.* Nam ut imperfectum cum perfecto junctum temporum congruentiam non exprimit, at concedit, sic item futurum cum fut. exacto conjunctum.

II.

Indicativum in secundariis enuntiationibus, cum in primariis sit conjunctivus, inveni in locis viginti septem. Primarias autem semper eas dico, ad quas pertinent secundariae, etsi ipsae pendeant ex aliis. Sed dijudicandum censeo, qualis sit is conjunctivus primariae cujusque sententiae.

1.

Atque in locis duodecim primariae sententiae aut finales aut consecutivae sunt. Secundariae iis adjunguntur in locis quattuor particula *dum*, quam praesens indicativi sequitur, cum in primariis sit ejusdem temporis conjunctivus. *Ne, dum parvulum hoc consequimur, . . . illud amittamus, quod maximum est. inv. II, 3, 10. Ita ut non nunquam cunctatione ac tarditate, dum otium volunt etiam sine dignitate retinere, ipsi utrumque amittant. Sest. 47, 100. Totum corpus rei publicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. off. I, 25, 85. Ne dum huic obsequor, vobis molestus sim. fin. V, 3, 8.* Sed cum et finalis et consecutivae sententiae conjunctivus ad futurum tempus possit referri (cf. L.-M. § 100. Anm. 4) etiam futurum in secundariis sententiis inveniri consentaneum est; neque tamen in aliis atque conditionalibus vel similibus sententiis hoc tempus invenitur. Ejus generis sunt hi loci tres: *Quod si aliter statuetis, videte ne hoc statuatis. Caec. 16, 46. Non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias, si ea defendes, quae ipse recta esse senties. fam. II, 7, 1. Ut non modo cum gerere coeperint, sed etiam cum constituentur* (sc. decemviri) *omne vestrum jus potestas libertasque tollatur. leg. agr. II, 11, 29* (cf. p. 55). — Quattuor sunt loci, in quibus perfecti indicativus conjungitur cum ejusdem temporis conjunctivo, quorum in tribus *pronomine relativo* enuntiationes copulantur, in uno particula *si. Ne sint haec in te dicta, quae dixi. Cael. 20, 50. Timeo, ne C. Verres . . . quae fecit, impune fecerit. Verr. V, 1, 3. Animus ita videtur affectus fuisse, ut . . . id, quod fecit, impetu quodam animi potius, quam cogitatione fecerit. inv. II, 5, 17. Num quid est causae, C. Aquili, quin, si longe aliter possedit, quam praetor edixit, iste ex edicto non possederit? Quinct. 27, 84.* — Restat unus locus, in quo consecutivae sententiae plusquamperfecto tempore (cf. L.-M. V. § 118. Anm. 3) pronuntiatae conjunctione *quod* adjungitur secundaria, quae indicativum ejusdem temporis continet: *Ti. Gracchus . . . qua gravitate vir! qua eloquentia! qua dignitate! nihil ut a patris avique*

Africani praestabili insignique virtute, praeterquam quod a senatu desciverat, deflexisset. har. resp. 19, 41.

2.

Uno in loco indicativus particula *cum* conjungitur cum conjunctivo concessivo. *Ut enim aeque doleamus, cum corpore dolemus, . . . tamen . . . fin. I, 17, 55.* Similis est hic locus: *Sint enim oportet, si miseri sunt. tusc. I, 6, 12.*

3.

Ad conditionalem conjunctivum ejusdem temporis indicativus pertinet his duobus in locis: *Lex id Gellia et Cornelia, quae definite potestatem Pompejo civitatem donandi dederat, sustulisset. Balb. 14, 32. Nisi exercitum C. Caesaris — in quo fallebat ... — . . . in curiam se immissurum minitaretur,... nisi consules causam conjunxisse secum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret . . har. resp. 22, 47. (cf. p. 52 f.).*

4.

Duobus in locis secundariae enuntiationes pertinent ad sententias particula *cum* superioribus annexas. *Cum ille, qui ista bona dicit, nihilo plus iis tribuat quam tu. fin. IV, 9, 23. Quid est ineptius quam de dicendo dicere, cum ipsum dicere nunquam sit non ineptum, nisi cum est necessarium. de or. I, 24, 112.*

5.

Restant hi novem loci, in quibus obliquis sententiis secundariae adjunguntur: *Videte, ut, dum se expedire vult, induat* (sc. amentiam.) *Verr. II, 43, 106. Doceat ipse, num ego quem possessorem defendam, cum agrariae legi resisto. leg. ag. III, 4, 15. — Tum cum videbantur, quo modo viderentur, id quaeritur. ac. pr. II, 8, 23. — Quaero etiam, ille vir bonus, qui statuit omnem cruciatum perferre . . . cur has sibi tam graves leges imposuerit. Ac. pr. II, 8, 23. Judicatio est: cum summae virtutis . . . Graii . . . monumentum statuerunt, rectene an contra fecerint. inv. II, 23, 70. Verecundioremne coram putamus in postulando fore, quam fuerit tum, cum misit mandata ad senatum? Phil. XII, 5, 11. Id quod haud scio an tu primus ostenderis, qui jam diu multo dicis remissius. de or. I, 60, 255.* (hoc in loco verbo *dicis* praeteriti temporis vim contineri ex iis, quae adduntur intelligitur, *jam diu*). — *Declaravit . . quam illa, quae tulerat, temporum magis necessitate quam judicio tulisset. Phil. V, 14, 38. Sin ea, quae ante gesseram, conservandae civitatis causa gessissem. post. red. II, 1, 1.*

III.

In enuntiationibus secundariis conjunctivus ejusdem temporis, cujus in primariis sit indicativus, invenitur in locis quadraginta duobus, quorum in tribus imperfecta exstant in reliquis aut praesentia aut perfecta.

1.

Potest fieri ut altera persona conjunctivi potentialis q. d., quo indefinitum subjectum indicatur (cf. L.-M. § 130. Anm. 1) in conditionali sententia secundaria sit, si quidem ne primariae quidem subjectum certa sit persona (cf. p. 53). Cujus generis tres locos inveni hos: *Haec est certa et propria sanctio, si doceas ipsas perturbationes per se esse vitiosas. tusc. IV, 28, 60. Verborum* (sc. confirmatio) *tollitur, si verba mutaris. de or. III, 52, 201. Saepe obscurius positum vitium pro vero probatur, cum aut parum memineris, quid concesseris, aut ambiguum aliquid pro certo concesseris. inv. I, 47, 88.* — Paucis locis in relativis enuntiationibus conjunctivus potentialis invenitur, quo item indefinitum subjectum esse significetur. *Si quis est qui et se et causam laedi putet, cum Chrysogonus vituperetur, is causam ignorat, se ipsum probe novit. Rosc. Am. 49, 142. Si quis est qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse, non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam, simulque non de me is pejus quam de te existimat. fam. III, 8, 7.* In his *si quis est qui putet* nihil aliud valent atque *si quis putet.* Huc recte fortasse etiam hic locus potest referri. *Qui . . . condicionem aequissimam repudiet et fateatur se non pecuniam sed vitam et sanguinem petere, is non hoc palam dicit . . .? Quinct. 14, 46.*

2.

Saepe in sententiis *relativis,* ad quas accedunt duae particula *cum* adjunctae, conjunctivus causam videtur aliquo modo indicare. Huic generi locos viginti septem attribuo, quorum in his sex locis primariae sententiae ita efficiuntur, ut faciendi verbum secundariam sententiam quasi complectatur (cf. p. 34): *Nonnulli isti . . . faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poeta sed ut a teste veritatem exigant. leg. I, 1, 4. Facit igitur Lucius noster prudenter, qui audire de summo bono potissimum velit. fin. V, 6, 15. Praeclare facitis, tribuni plebi, qui de praesidio consulum senatusque referatis. Phil. III, 10, 25. Aliter, atque ostenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiae meae. fam. II, 3, 2. Bene fecit A. Silius, qui transegerit. Att.*

XII, 24, 1. Tuque humanissime fecisti, qui me certiorem feceris. Att. XIII, 43, 1).*

Reliqui loci, in quibus conjunctivus cum indicativo componatur, hi sunt: *Hic vehementer errat Timarchides, qui . . . putet. Verr. III, 67, 156. Jam dudum ego erro, qui tam multa de tuis emptionibus verba faciam. ib. IV, 16, 35. Si in hoc erro, qui animos hominum immortales esse credam . . . sen. 23, 85. Aristonis magno in errore sententia est, qui neque formam dei intelligi posse censeat neque in deis sensum esse dicat dubitetque omnino, deus animans necne sit. de. nat. I, 14, 37. Interdum nimis etiam novit* (sc. voluptatem), *quippe qui testificetur ne intelligere quidem se posse, ubi sit aut quod sit ullum bonum praeter illud, quod cibo et potione . . . capiatur. fin. II, 3, 7. Quid igitur proficis, qui anticipes ejus rei molestiam. Att. VIII, 14, 2. Cum lex assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti. top. 2, 10. — Praeceps amentia ferebare, qui te existimares avaritiae vulnera crudelitatis remediis posse sanare. Verr. V, 46, 121. Facile indicabat ipsa natura vim suam, cum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero judicarent. am. 7, 24. — Q. Aelius Tubero fuit illo tempore . . . paullo etiam durior; qui quidem in tribunatu judicaverit . . . Brut. 31, 117. Satis significavit, quantum esset in actione, qui orationem eandem aliam fore putarit actore mutato. de or. III, 56, 213. Neque vero hoc*

---

*) In ejusdem generis sententiis indicativus in utraque enuntiatione invenitur septies. *Qui non defendit injuriam neque propulsat, cum potest, injuste facit. off. III, 18, 74. Qui modum vitio quaerit, similiter facit, ut . . . tusc. IV, 18, 41. Tu autem, qui id quaeris, similiter facis, ac. . . de. nat. III, 3, 8. Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt quam necesse est. ib. I, 5, 10. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem (sc. faciunt). am. 6, 20. In quo vehemens fui vobiscum, nihil feci nisi coactus. Sull. 31, 87. Qui voluit subvenire erroribus Epicurus . . . dixitque sapientis esse opinionem a perspicuitate sejungere, nihil fecit. Ac. pr. II, 14, 45.* Quos locos si cum illis comparamus, hoc apparet, semper relativam enuntiationem conjunctivum habere, cum ipsa sequatur primariam, indicativum, cum antecedat primariae enuntiationi. Unus tamen locus excipitur, in quo non scriptum legitur faciendi verbum, sed animo intelligitur. Is exstat leg. II, 11, 26: *Melius Graeci atque nostri* (sc. *fecerunt*), *qui . . . easdem illos* (deos sc.) *urbes quas nos incolere voluerunt.* Praeter relativas autem in ceteris coincidentium enuntiationum generibus, quaecunque faciendi verbo subjunguntur, nunquam conjunctivus modus invenitur, ne in iis quidem, quae particula „cum“ adjungantur, si quidem primariae habent indicativum (exempla vide pg. 84 sqq.).

fugit sapientissimum regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem accierit. de or. III, 35, 141. Quid igitur voluit sibi, qui illa mutaverit. fin. IV, 20, 57. A fide justitiaque discessit, qui optimum et gravissimum civem . . . in invidiam falso crimine adduxerit. off. III, 20, 79. Fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit. fam. VII, 30, 1. Quod quidem (i. e. usum familiarissimum) *ille testamento declaravit, qui me cum tutorem, tum etiam secundum heredem instituerit. ib. VIII, 60. Quod genus hoc militum sit, judicavit vir fortissimus M. Bibulus in Asia, qui . . . delectum habere noluerit. ib. XV, 1, 5. C. Quinctius fuit . . . una in re paulo minus consideratus, qui societatem cum Sex. Naevio fecerit. Quinct. 3, 11. (cf. Ne ego incautus, qui cum Academico . . . congredi conatus sim. de. nat. II, 1, 1.* i. e. incautus fui, qui . . .). *Bis servavi rem publicam, qui consul togatus armatos vicerim, privatus consulibus armatis cesserim. dom. 37, 99. Tu vero, Metrodore, qui omne bonum in visceribus medullisque condideris et definieris summum bonum firma corporis adfectione exploratаque ejus spe contineri, Fortunae aditus interclusisti? tusc. V, 9, 27*).* (cf. L. M. V. § 118. C.b.) — Praesens historicum pro perfecto est in hoc loco: *Avaritiam praefers, qui societatem coieris de municipis cognatique fortunis cum alienissimo. Rosc. Am. 31, 87.* Quo in loco etsi minus narrantur res, tamen rem praeteritam orator impetu dicendi concitatus repraesentat. — Perfecti praesentis conjunctivus invenitur in his locis: *Utrum igitur nos impudentes, qui labi nolumus, an illi adrogantes (sc. sunt), qui sibi persuaserint scire se solos omnia. Ac. pr. II, 36, 115. Att. Ain tandem? unane est solum dissensio? M. . . una: quippe cum antiqui* (sc. Academici) *omne, quod secundum naturam esset, . . . bonum esse decreverint, hic* (Zeno) *nihil nisi quod honestum esset, putarit bonum. leg. I, 20, 54.* (i. e. dissensio est, cum illorum decretum sit illud, hujus sententia sit haec . . .).

3.

Duobus in locis concessiva sententia conjunctivus efficitur, cum primariae habeant indicativum. *Cur nolint, etiamsi*

---

*) Uno in hoc loco cum relativa enuntiatio antecedat primariam, hoc licet dici, conjunctivum in relativa enuntiatione esse non solere, cum coincidentes sint sententiae, nisi antecedat primaria. Nihilo minus plures sunt loci, in quibus, cum antecedant primariae sententiae, tamen relativae sequantur cum indicativo.

taceant, satis dicunt. Verum non tacent. Caecil. 6, 21. (quo loco cur ex codd. deterioribus cum Orellio (ed. I) accipiamus „tacerent“, nihil causae est. cf. L. M. V. § 178. Anm. 2 et 3). *Sed ut potuerint* (sc. judicare), *potuerunt omnibus rebus auditis, cognitis reliquorum sententiis. Ac. pr. II, 3, 9* (quem locum sic recte Lambinus videtur emendasse, cum adjecerit *potuerint.*) — Singularis est hic locis: *Nec minus laetabor, cum te semper sordidum, quam si paulisper sordidatum viderem. Pis. 41, 99.* Quo in loco conjunctivus conditionalis cum futuro junctus videtur. Sed haec brevi quadam dicendi ratione dicta sunt, quae plenius sic erant dicenda: nec minus laetabor, cum te semper sordidum videbo (vel videro) quam laetarer, si paulisper sordidatum viderem.

4.

Satis notus est is loquendi usus, quo cum conjunctione *quod* verbi dicendi conjunctivus obliqua quadam ratione conjungatur in locis hujus generis: *Rediit paulo post, quod se oblitum esse nescio quid diceret.* Ejus generis unum locum, qui coincidentes sententias contineat, inveni hunc: *Quem . . . in eo reprehendit, quod gratum praeter modum dicat esse. Planc. 33, 82.* Sed L. M. V, § 170 Anm. 6 admonent similem rationem ad „cum“ conjunctionem pertinere etiam in sententiis coincidentibus; cujus generis hi sunt loci: *Cotidie meam potentiam invidiose criminabatur, cum diceret senatum non quod sentiret, sed quod ego vellem decernere. Mil. 5, 12. Cum idem . . . neget esse quicquam sempiternum, nonne deum omnino tollit? de. nat. I, 12, 29. Inconstantiam tuam cum levitate tum etiam perjurio implicatam refellisti, cum quem a te alienissimum esse dixisses, eum domi tuae fuisse . . . dixeris. Vatin. 1, 3.* Cui loco adjungatur hic: *Te hesterno pro testimonio esse mentitum . . ., paulo ante imprudens indicasti, qui et T. Claudium tecum communicasse et . . . Albinovanum multa tecum locutum dixeris. Vatin. 1, 3.* (Sic recte vulgo et ap. Klotzium et Muellerum legi puto. Cod. Par. quidem omisit *qui* in loco raso, quam lacunam Halmius supplevit voce *cum* collato loco ejusdem paragraphi, quem paulo ante attulimus *refellisti, cum . . . dixeris.* Sed quod est in cod. Gemblacensi *qui et vel quia*, potest ex meliore fortasse fonte esse deductum, qui habuerit *qui et* superscripto *vel quia*, cum vocis *cum* nullum in codicibus exstet vestigium. Atque conjunctivum etiam in enuntiatione relativa hujus generis suum locum habere iis exemplis, quae attulimus p. 73 sq., satis

mihi videtur probari, cf. imprimis de or. III, 56, 213. fam. VIII, 60. XV, 1, 5)*).

5.

Adhuc conjunctivi semper idem vel ejusdem notionis tempus invenimus, quod est indicativi primariae sententiae. Sed etiam de compluribus locis disputandum est, in quibus discrepent conjunctivi et indicativi tempora.

a.

Primum paucis in locis imperfecti conjunctivus conjungitur cum indicativo perfecti; hos dico: *Voluptatem cum summum bonum diceret, primum in eo ipso parum vidit. fin. I, 8, 26. (cf. p. 50. sq.) — Cum hoc Pompejus ... vehementer egit, cum diceret in summa se perfidiae et sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur. Att. II, 22, 2. L. Sulla, cum bona indemnatorum civium ... venderet ... tamen ex hoc loco vendidit. leg. agr. II, 21, 56. Quam diem, qui istum eripiendum redemerunt, in cautione viderunt, cum ita caverent, si post Kalendas Jan. in consilium iretur. Verr. I, 11, 31.* Qua de re non aliter judicandum videtur atque in eo loco, ubi indicativum imperfecti cum perfecto componi videbamus. p. 64. In ceteris autem locis, in quibus idem temporum usus appareat, coincidentes sententiae inesse mihi non videntur, velut in hoc: *De cujus praestanti virtute cum vere graviterque diceres, domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandum. Mur. 31, 66.* Nam hoc est: in ista oratione, quam habebas, etiam hic fuit locus habere te e. q. s. *Luccejus mirificas tibi apud me gratias egit, cum diceret omnia te cumulatissime et liberalissime procuratoribus suis pollicitum esse. fam. XIII, 42, 1.* Nam quod Luccejus omnia illum pollicitum dixit, ea non erat gratiarum actio, sed ejus causa ac ratio. Neque aliter de hoc loco judico, qui apud L. M. V. § 170. A. 6. coincidentiae rationem continere dicitur: *C. Caesarem ... saepe increpuit, saepe accusavit, cum adfirmaret illum nunquam, dum haec natio viveret, sine cura futurum. Sest. 63, 132.* Neque enim confirmando illud Caesarem

---

*) Non minus saepe indicativum verbi dicendi inveniri, quam conjunctivum ex his locis potest cognosci: *Spoliavit virtutem suo decore imbecillamque reddidit, quod negavit in ea sola positum esse beate vivere. Ac. post. I, 9, 33. Quae iste in provincia palam dictitabat, cum ea quae faciebat tua se causa facere dicebat. Verr. V, 68, 176. Neque mihi quidquam oneris suscepi, cum illa dixi. Cluent. 51, 142. De luxuria purgavit Crucius, cum dixit hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse Rosc. Am. 14, 39. Sustulisti hanc suspitionem, cum dixisti hunc ... contra patrem tuum operas et manum comparasse. Sull. 24, 68.*

accusabat, sed quotiescunque accusabat, hoc addere vel inserere verbis suis solebat, numquam illum sine cura futurum. Vertamus igitur sic: „wobei er zu versichern pflegte“, non „indem, damit dass er versicherte“. Eodem pertinet hic locus: *In historia, qua tu es usus in omni sermone, cum qualis quisque orator fuisset exponeres, vide . . . Brut. 85, 292.* Neque enim historiae usus qui sit, hac enuntiatione secundaria explicatur, cum alio quoque dicendi genere oratorum qualitates possint exponi; sed qua de re fuerit sermo, indicatur. Item hic locus: *Appius . . . non satis scienter virum bonum et civem egregium censor C. Ateium notavit, quod ementitum auspicia subscriberet. div. I, 16, 29.* Nam subscriptio censoris non ipsa erat nota, sed addebatur notae, ut loci sententiam sic liceat interpretari „Appius erteilte dem Ateius eine Nota, weil er, wie die Subscriptio lautete, Auspicien erlogen habe.“ (cf. Lange, Röm. Altert. 3. Aufl. I, p. 807).

b.

Praeterea tres sunt loci, in quibus enuntiationes secundariae particula *cum* adjunctae plusquamperfecti conjunctivum habeant, cum in primariis sit perfectum. *Nisi omnis frumenti ratio ex temporibus esset et annona . . . consideranda, nunquam tam grati hi sesquimodii, Q. Hortensi, fuissent, quos tu cum ad mensurae tam exiguam rationem populo Romano in capita descripsisses, gratissimum omnibus fecisti. Verr. III, 92, 215. Quam petitionem cum reliquisses, si hoc indicasti, tanta in tempestate te gubernare non posse, de virtute tua dubitavi. Planc. 5, 13. Illa, cum suo corpori vim attulisset, se ipsa cruciavit. Cluent. 11, 32.* Quorum locorum in primo nescio an conditionalis modus *fuissent*, qui antecedit, aliquid momenti habuerit ad eligendam hanc formam *descripsisses*. Sed, utut est, antecedens tempus plusquamperfectis illis non indicari apparet. Sed etiamsi rerum congruentia minime sit expressa verborum formis, tamen animo eadem tempora percipi necesse est; id quod posse fieri existimo propterea, quod perfectum (quale est *fecisti, indicasti, cruciavit*) statum actionis, quem dicunt, non significat, sed potest etiam perfectam in praeterito actionem continere ita, ut sit perfecta necne non dijudicetur. Imperfectum ut in primaria sententia tum scribatur, cum in secundaria sit plusquamperfectum vel indicativi vel conjunctivi, coincidentiae quidem ratione intercedente fieri non posse dico. Aliud statuendum censeo his locis duobus, quos quis huc pertinere putarit: *Quod cum disputando rationibusque docuisset, populum metu liberavit. rep. I, 16, 25. Omnis oratio ad misericordiam*

tuam conferenda est, qua plurimi s u n t c o n s e r v a t i, *cum a te non liberationem culpae, sed errati veniam* i m p e t r a v i s s e n t. *Lig. 1, 1.* Nam in altero non una cum docendo populum metu liberasse Pericles dicitur, sed postquam diutius docendo operam navasset, tandem populum metu liberasse. In altero autem *sunt conservati* perfectum praesens mihi videtur, ut prope idem valeat quod *salvi sunt.* Ut autem salvi sint, eo effectum est, quod a Caesare veniam impetrarunt. Antecedit igitur haec veniae impetratio eorum saluti.

IV. 1.

C o n j u n c t i v u s in u t r a q u e e n u n t i a t i o n e maxime invenitur i n s e n t e n t i i s c o n d i t i o n a l i b u s, cujus generis sunt sexaginta. Quibus in sententiis conjunctivi vim aut potentialem aut conditionalem esse constat.

a.

Atque p o t e n t i a l e m vim cum et praesentis et perfecti conjunctivus habeat sine discrimine, et bina praesentia et bina perfecta et praesens cum perfecto potest conjungi. Nonnullis autem in locis, quamquam primariae enuntiationes sunt finales vel consecutivae, tamen conjunctivos earum simul potentialem vim continere ex secundariarum enuntiationum conjunctivis mihi intelligi videtur. Sed cum nonnunquam dubium esse possit, utrum potentialem notionem an obliquam q. d. rationem vel attractionem modorum esse recte ponamus, omnes ejus generis c o n d i t i o n a l e s sententias huc congessi. *Ut, si partiri velis tutelas, inscienter* f a c i a s, *si ullam* p r a e t e r m i t t a s. *top. 8, 33. Impie* f a c i a t, *si deos esse* n e g e t. *de. nat. II, 16, 44. Vereor, ne subadroganter* f a c i a s, *si* d i x e r i s. *ac. pr. II, 36, 114. Tanto dolore Aesopus est affectus . . ., ut nihil ei gratius* f a c e r e p o s s i s, *quam si illum per te* r e c i p e r a r i t. *Q. fr. I, 2, 14. Summa est, in quo mihi gratissimum* f a c e r e p o s s i s, *si* c u r a r i s, *ut Avianius . . . me a te amari sciat. fam. XIII, 75, 2. — (Doctrinam) ego si nihil* d i c a m *adjuvare,* m e n t i a r. *de or. I, 32, 145. Sest. 46, 100. am. 3, 10. — Tormenta quaedam adhibemus, ut si* r e s p o n d e r i n t *se impunitate proposita facturos quod expediat, facinorosos se esse* f a t e a n t u r, *si* n e g e n t, *omnia turpia per se ipsa fugienda esse* c o n c e d a n t. *off. III, 9, 39. de. nat. II, 33, 86. fat. 14, 32. 12, 28. fin. II, 19, 60. Dolorem saepe perpetiuntur, ne, si id non* f a c i a n t, i n c i d a n t *in majorem. fin. I, 14, 48. off. I, 25, 88. I, 10, 32. Si . . . causam* r e l i n q u a s, *nihilne noceas? de or. II, 75, 305. Si quid* p o s u e r i s *aut aperte falsum aut . . ., nihilne* n o c e a s? *ib. II, 75, 306.*

Cat. III, 9, 22. inv. I, 39, 73. — Si quis Phidiae clipeum dissolverit, conlocationis universam speciem sustulerit. or. 71, 234. de or. I, 22, 100. Nefarius fueris, si quicquam misericordia adductus feceris. Mur. 30, 62. fin. II, 33, 107. Att. VI, 1, 26, VII, 17, 2. Non mehercule tam perscribere possum, quam mihi gratum feceris, si otiosum Fadium reddideris. fam. IX, 25, 3.

b.

Conditionalem vim imperfecti et plusquamperfecti conjunctivi habent eo discrimine, ut ille ad praesens hic ad praeteritum tempus pertineat. Neque hi conjunctivi in coincidentibus sententiis miscentur. Exempla sunt haec: *Si largitionem factam esse confiterer, . . ., facerem improbe. Mur. 3, 5. Vererer, credo, ne turpiter facerem, si . . . hominem defenderem. Planc. 30, 72. fam. VI, 19, 2. Att. VIII, 14, 1. — Si diceretur „Morietur . . . Scipio", vere diceretur. fat. 9, 18. Caecil. 5, 19. Si ita diceres . . ., praeclaras duas artes constitueres. de or. I, 55, 236. or. 41, 140. fin. I, 3, 7. fat. 13, 30. Phil. IV, 4, 9. — Nos magnum fecissemus, si quidem potuissemus quo contendimus pervenire. or. 30, 105. Commodius fecissent tribuni plebis, Quirites, si . . . ea coram potius me praesente dixissent. leg. agr. III, 1, 1. — Si me vilicus tuus solus dejecisset, non familia dejecisset, sed aliquis de familia. Caec. 19, 55. Si obnuntiasset is praetor . . ., accepisset res publica plagam, . . . si intercessisset conlega Fabricio, laesisset rem publicam, sed jure laesisset. Sest. 33, 78. Verr. I, 10, 27. II, 57, 140. Cat. IV, 4, 8. Planc. 37, 90. Sest. 22, 50. Lig. 5, 14. Dej. 6, 18. Phil. II, 21, 52. XI, 8, 20. tusc. I, 34, 84. 35, 85 (bis). 35, 86. fin. II, 6, 19. Phil. II, 2, 3. de or. I, 55, 234. Verr. I, 11, 31. Rab. 8, 24.* — Praeter conditionales sententias conjunctivi conditionales esse in his locis mihi videntur: *Libenter enim facerem, frater, quod ad istam orationem tecum prolaberer. leg. I, 20, 52.* (quo de loco cf. p. 35.) *Nihil fecisset libentius* (sc. Sulla), *quam omnem illam acerbitatem proscriptionis suae . . . in hanc unam quaestionem contulisset. Cluent. 55, 151. Quam multi, cum a te ignosci nemini vellent, impedirent clementiam tuam. Lig. 5, 15. Quomodo autem tu de re publica bene meritus esses, cum tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses. Lig. 6, 19. — ep. ad. Brut. I, 9, 1.*

2.

Potest conjunctivus in secundariis enuntiationibus etiam attractione quadam modi quam dicunt, effici, prae-

sertim cum primaria enuntiatio est finalis vel consecutiva. Id quod in hos locos mihi videtur convenire: *Ut quotiescunque de clarissimo et beatissimo viro cogitemus, illum potius quam nosmet ipsos diligere videamur. Brut. 1, 4. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat deum, qui unde ortus sit, quasi recordetur. leg. I, 8, 25. de or. I, 49, 212. Ne meum laudet ingenium, cum dicat . . . Verr. I, 9, 24. de. nat. I, 25, 69. Vereor ne talium personarum cum amplificare velim, minuam etiam gloriam. Ac. pr. II, 2, 5. off. II, 19, 68. Vide, Crasse, ne, dum novo . . . ornatu velis ornare juris civilis scientiam, suo quoque eam concesso et tradito spolies atque denudes. de or. I, 55, 235. Sull. 22, 63. Petant hereditatem, quod eam palaestrae commissam esse dicant. Verr. II, 14, 36. Sed omnis ejusmodi perturbatio animi placatione abluatur illa quidem, cum doceas . . . tusc. IV, 28, 60. — Ut . . . is, qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit. div. II, 54, 110. Ut non dubium sit, quin major adhibita vis ei sit, cujus animus sit perterritus, quam illi, cujus corpus vulneratum sit. Caec. 15, 42. Quid potest dicere, quin, cum de illo tacuerit, se hostem confessus sit. Phil. III, 8, 21. — Cum majores ita constituerint, ut, qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret. Quinct. 9, 33. Ut, cum ostendere velles, quales di essent, ostenderes nullos esse. de. nat. III, 8, 20. Alia causa tum Staieni fuit, alia nunc, Atti, tua est. Ille cum re premeretur, quodcunque diceret, honestius diceret, quam si . . . fateretur. Cluent. 31, 86. — Cum lege nefaria Ptolemaeum regem Cypri . . . publicasses populumque Romanum scelere obligasses, cum in ejus regnum, bona, fortunas latrocinium hujus imperii immisisses, . . . hujus pecuniae deportandae . . . M. Catonem praefecisti. dom. 8, 20.* Etiam in hoc loco conjunctivus *immisisses* per attractionem quandam videtur effici, cum antecedant hae formae *obligasses*, *publicasses*, quae ipsae ex *cum* particula pendent. Recte igitur in optimis codicibus conjunctivum esse puto in hoc quoque loco: *Visa sint breviora* (sc. peccata), *leviora qui possunt? cum quidquid peccetur, perturbatione peccetur rationis atque ordinis. parad. III, 2, 26.* Neque cum Halmio aliis scribendum puto *quidquid peccatur.*

3.

Obliqua ratio facit conjunctivum in his locis: *Justitia . . . ita dicet dupliciter esse te injustum, cum et alienum adpetas, qui mortalis natus conditionem postules immortalium, et . . . tusc. III, 17, 36. Quaeritur is qui domini voluntate*

census sit, continuone an, ubi lustrum sit conditum, liber sit. de or. I, 40, 183. (in quibus „census sit" perfectum praesens habendum est). *Judicatio est: minuatne is majestatem, qui in tribuniciam potestatem patria potestate utatur. inv. II, 17, 52. Cluent. 57, 157.*

Casus illum ignarum quid profiteretur, cum se philosophum esse diceret, . . . inquinavit. Pis. 29, 72. Ni te videre scirem, cum ad te scriberem, quantum officii sustinerem. fam. II, 6, 5. Cum praesertim ex tua oratione, quodcunque tibi peteres, huic peteres. Rosc. Com. 18, 54. (obliqua in hoc loco ratio vocibus *ex tua oratione* indicatur). *de or. I, 24, 110.*

Videsne igitur vel in ea ipsa urbe, in qua et nata et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem. Brut. 10, 39. Existit illa disceptatio, minueritne majestatem, qui voluntate populi Romani rem gratam et aequam per vim egerit. part. or. 30, 105. Haec requiro, omnesne, qui Cannensi pugna ceciderint, uno astro fuerint. div. II, 47, 97. Hoc nemini dubium est, qui reo custodiam, quaesitori gratulationem, indici praemium decrerit, quid de tota re et causa judicarit. Cat. IV, 5, 10. Sest. 12, 27. Verr. II, 4, 12. Quaero etiam illud ex te . . ., fecerisne, quod . . . in omni memoria est omnino inauditum? appellarisne tribunos plebis, ne causam diceres? Vat. 14, 33. (i. e. cum appellaris). *Commemorat, quid olim mali C. Julius fecerit, cum dieculam duxerit. Att. V, 21, 13. Sentio, quid sceleris admiserim, cum de visceribus tuis et filii tui satisfacturus sis, quibus debes, ego acceptam ex aerario pecuniam tuo nomine frustra dissiparim. Q. fr. I, 3, 7* (in hoc loco haec verba *cum — satisfacturus sis* subjuncta intelligenda sunt his *cum — dissiparim*). *Flacc. 12, 27.*

Augures interrogabat, quae ita latae essent, rectene latae essent. har. resp. 23, 48. Si quis apud nos servisset . . . seseque liberasset et postea domum revertisset, quaesitum est, num is ad suos postliminio redisset et amisisset hanc civitatem. de or. I, 40, 182.

V.

Etiam participiis coincidentes sententias posse effici monitum est p. 25. Atque participium praesentis, quippe quo imperfecta significetur actio, et gerundivum, cujus simillima est notio in genere passivo*), cum temporibus actionis

*) cf. L.-M. III, § 90., Bem. et quae ex Laurentii Vallae elegantiis Sanctius attulit in Minerva I, c. 15: „nescio an dicendum sit gerundium esse participium praesentis temporis more Graecorum".

imperfectae (vel praesenti vel imperfecto vel futuro), perfecti participium cum temporibus actionis perfectae (vel perfecto vel plusquamperfecto vel futuro exacto) conjungatur necesse est, si coincidentes sententias oportet exprimi. Nec secus in plerisque locis invenitur.

a.

Antisthenes, . . . popularis deos multos, naturalem unum esse dicens, tollit vim et naturam deorum. cf. q. s. de. nat. I, 13, 32 (cf. p. 42. α). Umbra terrae soli officiens noctem efficit e. q. s. de. nat. II, 19, 49. Haec disserens, qua de re agatur, non videt. fat. 5, 9 (cf. p. 50. e). Si aliorum naturam imitans omittas tuam. off. I, 31, 111. Quis enim potest mortem aut dolorem metuens . . . esse non miser. tusc. V, 6, 15. Caesari diadema imponens Antonius servum se illius quam collegam esse malebat. Phil. XIII, 8, 17. Levabar cura virum fortem . . . audiens πολιτικῶς de pacis simulatae periculis disserentem. Att. VII, 8, 4. Iis rebus, quae tractantur in vita, modum quendam et ordinem adhibentes honestatem et decus conservabimus. off. I, 5, 17. — Nec vero . . . superstitione tollenda religio tollitur. div. II, 72, 148 (cf. p. 25). Consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat. Brut. 89, 306. Non redeundo in gratiam cum inimico non violabam Pompejum. Rab. Post. 12, 33. In Q. Ligario conservando multis tu quidem gratum facies necessariis tuis. Lig. 11, 32. Supplicatione decernenda hostes eos, de quibus decernitis, judicetis necesse est. Phil. XIV, 8, 24 (cf. ib. 8, 22: Supplicationem qui decrevit, idem imprudens hostes judicavit). Duobus in locis participia ejusdem generis conjunguntur cum perfectis, qua in re eadem valet ratio, quae supra in iis locis, in quibus imperfecta cum perfectis juncta inveniebamus (cf. p. 64 et 76. a). *Quos* (sc. libros) *tu laudando animos mihi addidisti. Att. VII, 2, 4.* (i. e. cum laudabas, addidisti). *Haec a principio tibi praecipiens* (i. e. cum praecipiebam), *quantum profecerim, non ignoro. Q. fr. I, 2, 7.*

b.

Participiis perfectis cum temporibus perfectis conjunctis coincidentes sententiae significantur in his locis: *Hanc* (sc. legionem Martiam) *imitata quarta legio parem virtutis gloriam consecuta est. Phil. XIV, 12, 31. Hujus legionis virtutem imitata quarta legio . . . C. Caesaris auctoritatem atque exercitum persecuta est. ib. III, 3, 7. (Naturam) imitata ratio res ad vitam necessarias sollerter consecuta est. leg. I, 8, 26* (cf. locum supra all.: *Si aliorum naturam*

imitans omittas tuam. off. I, 31, 111). (Liberalitate) usus multas sibi tribus ... adjunxit. Mur. 20, 42. A pueritia vestigiis ingressus patris et tuis decori vestro non defui. rep. VI, 24, 26. Quemadmodum Tarquinius non novam potestatem nactus, sed quam habebat usus injuste totum genus hoc regiae civitatis everterit. rep. II, 29, 51. — *Sublata igitur aegritudine sublatus est metus. tusc. IV, 5, 8. Hac exstispicum divinatione sublata omnis haruspicina sublata est. div. II, 18, 42. Hoc enim* (sc. summo bono) *constituto in philosophia constituta sunt omnia. fin. V, 6, 15 (cf. p. 25). (Marcellis) tu etiam mortuis M. Marcello conservato dignitatem suam reddidisti. Marc. 4, 10. Tigrane enim neglecto sublata sunt omnia. Att. III, 8, 3. Convictis Epicuri erroribus longa de mea disputatione detracta oratio est. de. nat. II, 1, 3. Quibus (generibus) praetermissis caeli absolutio perfecta non erit. Tim. 11.* — Quinque sunt loci, in quibus perfecti participia conjunguntur cum praesentibus, quamquam ea participia cum suo quodque finito verbo in singulas cadere actiones videntur, ut congruere tempora oportere arbitremur. Tamen antecedere aliquo modo actionem alteram alteri orator videtur intelligi voluisse. *Refrigerato et exstincto calore occidimus ipsi et exstingimur. de. nat. II, 9, 23*, i. e. cum calor exstinctus est, ipsi tum exstinguimur. *(Plato) musicorum cantibus ait mutatis mutari civitatum status. leg. III, 14, 32* (quo in loco cantus mutatos sequi solere mutati status dicuntur). *Aegritudine sublata ... quodam modo etiam paupertatis malum tollitur. tusc. IV, 27, 59. Sublata benevolentia amicitiae nomen tollitur am. 5, 19. Qua (adjunctione) sublata vitae societas tollitur. rep. III, 27, 39 (*eadem verba leguntur *Att. VII, 2, 4).*

Quoniam earum sententiarum coincidentium, quarum praedicata sint finita verba, de temporum et modorum usu satis nobis videmur egisse, consistamus paulum, ut quid tot exemplis efficiatur videamus. Atque illam Lattmanni et Muelleri legem, qua aequalia in coincidentibus sententiis esse tempora dicantur, plurimis locis confirmatam intelligimus. Nam etiam cum perfectum praesens cum praesenti vel praesens historicum cum perfecto vel etiam praesens in conditionalibus sententiis cum futuro conjungeretur, vel perfectum praegnanti q. d. notione congrueret cum futuro exacto, illi legi satis fieri arbitrabamur. Itaque locos, qui respondeant, ad hanc legem, invenimus nongentos et quadraginta. Contra in locis undeviginti non exprimitur temporum formis rerum coincidentia, cum imperfectum

vel ad perfectum (p. 64. 76. 82. a) vel ad plusquamperfectum (p. 64) aut plusquamperfectum ad perfectum (p. 77. b) aut perfectum ad plusquamperfectum (p. 64) aut futurum exactum ad simplex (p. 68) referatur; sed intelligi debet in his cum rerum tum temporum congruentia. Omnia tempora cum usurpari, videremus, saepissime tamen praesens et perfectum, saepe futurum exactum, deinde futurum et imperfectum, raro plusquamperfectum inveniebamus. Ad modos vero coincidentiam sententiarum apparet nihil pertinere.

B.

Transeamus ad eas sententias, quarum in primariis sint infinitivi a verbis auxiliaribus pendentes. Quaeritur, num mutata sit temporum ratio. Nam in multis locis ejus generis ea inter binas actiones intercedit ratio, quae in hoc loco: *Id ipsum, quod fecit, potuit diligentius facere. fam. XIV, 16.* Quo in loco faciendi quidem in utraque enuntiatione eadem est actio, neque vero posse facere congruit cum ipso faciendo. Attamen in omnibus fere locis ejus modi auxiliare verbum cum infinitivo suo tam arte videtur cohaerere, ut in secundaria enuntiatione id tempus inveniatur, quod habet auxiliare verbum finitum. Reperiuntur verba *posse*, *solere*, *necesse esse*, *debere*, *velle.* Etiam hoc admoneri utile videtur, in his locis maxime perspicuum esse primaria enuntiatione judicium contineri, secundaria factum, primariam praedicati, secundariam subjecti vim continere. Qua re longe differunt ab iis sententiis, quarum in secundariis sint verba auxiliaria (cf. p. 8 sqq.).

Non potest esse sapiens, qui pecuniam negligit. inv. I, 48, 90. Quid si . . . paupertatem, ignominiam, infamiam timet . . ., potest ea timens esse quisquam beatus? tusc. V, 6, 15 (cf. Qui existimabit posse se miserum esse, beatus non erit. fin. II, 27, 87). Qui rebus his fractus aegritudine eliditur, potest tamen esse non miserrimus? tusc. V, 6, 16 (cf. q. s. ib.). Nihil honestum esse potest, quod justitia vacat. off. I, 19, 62. Neque vero qui non eisdem rebus movetur naturaque consentit, aut fidus aut stabilis potest esse. am. 18, 65. Ubi justitia vera non est, nec jus potest esse. rep. III. fragm. Aug. d. c. d. XIX, 21. Quod autem fit injuste, nec jure fieri potest. ib. (cf. quae antecedunt: *quod enim juste fit, profecto jure fit). Ego quod invitus ac necessario facio, neque diu neque diligenter facere possum. Rosc. Am. 42, 123. Concordiam civium qui habere potest, nullam cum habet civitatem? Phil. IV, 6, 14. Etiam cum rogat aliquid, contumaciter . . . solet scribere. Att. VI, 1, 7. Solet, cum se pur-*

gat, in me conferre omnem illorum temporum culpam. Att. IX, 2a, 1. Idem facere, quod seditiosi cives solent, cum aliquos ex antiquis claros viros proferunt. Ac. pr. II, 5, 13. Quasi . . ., si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire. fam. IX, 17, 1. — In quem cadit aegritudo, in eundem metum cadere necesse est. tusc. V, 18, 52. Omne autem, quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est. Tim. 2. Cum facit ipsa familia vim . . ., id dolo malo fieri necesse est. Tull. 28. Necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum aut summum bonum. off. III, 8, 35. Necesse est, qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eundem doctis probari. Brut. 49, 184. Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. fin. V, 6, 15. Apparet, cum verbum „necesse est" sit in primaria enuntiatione, in secundaria et indicativum et conjunctivum locum habere.

Cum vero sontes ferro depugnabant, . . . oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem et mortem disciplina. tusc. II, 17, 41 (cf. p. 54 sq.).

Qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus esse non poterit. tusc. V, 14, 40. Illa poteris uti civilium commutationum scientia vel in explicandis causis rerum novarum vel in remediis incommodorum, cum et reprehendes ea, quae vituperanda duces, et quae placebunt, exponendis rationibus comprobabis. fam. V, 12, 4. — Quidquid maleficii, sceleris, caedis erit, proprium id Rosciorum esse debebit. Rosc. Am. 42, 122.

Sed praesens verbi „posse" cum etiam ad futurum tempus referatur, cum futuro potest conjungi, id quod fieri solet in sententiis conditionalibus, velut: *Possumus etiam nunc rem publicam erigere, si communi consilio negotium administrabimur e. q. s. Att. VIII, 12 C, 3.* Atque eorum locorum ratione, in quibus futurum exactum cum simplici futuro conjungebatur (cf. p. 68), hi loci pronuntiantur: *Possumne satis videri cautus . . ., si me huic itineri tam infesto tamque periculoso commisero? Phil. XII, 10, 25. Quam potestis P. Lentulo . . . mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius nefarium in omnis odium saturaveritis? Flacc. 38, 95.*

Perfecta inveniuntur in his locis: *Qui autem aliter dixerunt, hoc assequi non potuerunt. or. 70, 234. Id ipsum, quod fecit, potuit diligentius facere. fam. XIV, 16. Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri . . ., quam cum hospitium fecit . . ? potuit certius interponere indicium*

voluntatis suae, quam cum . . . notavit? e. q. s. Balb. 18, 42. Quam illi judices . . . graviorem potuerunt rei publicae infligere securim, quam cum illum e civitate ejecerunt? Planc. 29, 70. Senatus gravior . . . esse non potuit, quam tum fuit. fam. X, 12, 4. Qui potuit divinius et utilitates complecti maritimas Romulus et vitia vitare, quam quod urbem perennis amnis . . . posuit in ripa? rep. II, 5, 10. — *Volumnia debuit in te officiosior esse, quam fuit. fam. XIV, 16.* — *Facetus esse voluisti, cum Tarquinium et Numam et me tertium peregrinum regem esse dixisti. Sull. 7, 22.* Uno in loco imperfecti conjunctivus jungitur cum perfecto; hunc dico: *Ex quibus ille cum optimos viros legeret, non potuit legere non studiosos mei. Mil. 8, 22 (cf. p. 64 et 76).*

Conjunctivi conditionales conjunguntur in hoc loco: *Possem vivere, nisi in litteris viverem. fam. IX, 26, 1.* Praeteriti temporis conditionalis respondet ad ejusdem temporis potentialem modum in hoc loco: *Et civibus et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satis facere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. Lig. 1, 2* (i. e. „er hätte nicht befriedigen können, würde wohl nicht befr. haben, wenn er gemacht hätte)". Itaque cum videamus, temporum rationem mutari non solere, cum pro simplici verbo in primaria quidem enuntiatione sit auxiliare cum infinitivo, in posterum hujus generis sententias non discernemus a ceteris.

C. (Summary on pp. 112 f.)

Sequitur, ut de iis sententiis coincidentibus dicamus, quarum secundariae enuntiationes ad infinitivos aut participia pertineant, quae ex aliquo verbo vel dicendi vel sentiendi pendeant.

I.

Hoc loco primum quaeritur, utrum ad ipsos infinitivos an ad finita primariarum enuntiationum verba secundariarum verba referantur. Atque infinitivis et participiis non propria tempora indicari, sed hoc tantum distingui, utrum sint imperfectae an perfectae an instantes actiones, constat inter omnes (cf. Sanctii Min. I, 14 „infiniti verbi tempora confusa sunt et a verbo personali temporis significationem mutuantur". Krueger. § 494. Kuehner. l. c. § 122, 2, et § 136, 2a. Grossrau. § 177. § 179. L.-M. V, § 109, alios). Quae cum ita sint, grammatici secundariarum enuntiationum tempora non infinitivos aut participia sequi docent,

sed finita verba ea, ex quibus illa pendeant. (cf. Kuehner. l. l. § 180 Anm. 7. Krueger. § 656 b, L.-M. V, § 120). Excipi solet infinitivus perfecti, quem propriam praeteriti temporis vim servare posse dicunt, ut imperfecti et plusquamperfecti conjunctivi ad eum referantur (cf. Kuehner. ib. Ell.-Seyff. § 245, Anm.). Neque aliter L.-M. docuerunt (ed. V, § 121): „Nach dem Infinitivus und dem abhängigen Conjunctivus Perfecti, auch wenn sie von einem Präsens (od. Fut.) abhängig sind, steht Conjunct. Imperfecti oder Plusquamperfecti, — wofern das Tempus des Nebensatzes ein bezogenes ist". Alia tempora cum eodem infinitivo conjungi posse dicunt ita, ut non referantur ad eum, sed absolute q. d. ponantur, cf. § 123: „Solche indicativische Nebensätze der or. recta, welche nicht bezogenes sondern selbständiges Tempus haben, behalten dieses auch dann, wenn sie in or. obliqua, von einem Inf. od. Conjunct. Perfecti abhängig, in den Conjunctiv treten". De hac re contra L.-M. disputat Wetzelius in libro, qui inscribitur „Beiträge zur Lehre von der Consecutio temporum im Lateinischen". Quo in libro haec legimus scripta (p. 10): „Wie reimt es sich, dass in einem Satze wie *Sapientissimum Solonem dicunt esse*, *eum qui leges scripserit* nach § 120 Antecedenz zu *dicunt* angenommen werden muss, während in *Sapientissimum Solonem dicunt fuisse*, *eum qui leges scripserit* dies nicht der Fall sein soll? . . . Denn der Inf. Präs. ist in seiner Bedeutung für das Satzverhältnis nichts mehr und nichts weniger als der Inf. Perf. Wird letzterem eine solche Kraft zugeschrieben, dass die Tempora des untergeordneten Satzes auf ihn bezogen sein können, so muss ein Gleiches vom Inf. Präs. wenigstens principiell, gesagt werden". Quae cum dicit, in eo errat ille, quod ex § 120 hoc effici putat, ut in illo *Sapientissimum Solonem dicunt esse* cett. *scripserit* antecedat verbo *dicunt*. Immo haec est paragraphi vis, referri secundariarum enuntiationum tempora ad infinitivos, sed hi ipsi cujus temporis sint, finitis verbis indicari, cum statum actionis ipsi exprimant. Hanc esse paragraphi sententiam et ex ed. III, § 120 intelligi potuit, et ex ed. V, § 109 (= III, § 110), cujus non satis Wetzelius rationem videtur habuisse. Neque igitur relationis discrimen est inter infinitivos praesentis et perfecti, sed cum ille (sic ut inf. fut.) semper temporis significationem mutuetur a verbo personali, ut ait Sanctius, hic suum tempus habere dicitur. Neque quicquam fuit causae, cur Wetzelius paragrapho illa totam rationem a L.-M. constitutam sublatam diceret. (ib. p. 10). Relationes enim temporum eaedam esse in utroque infinitivo dicuntur, vis

autem ac notio ipsorum infinitivorum diversa. Quod vero idem (l. l.) parem utrique infinitivo vim esse postulat, in eo libenter ei assentior et id ita esse, quantum ad nostram quidem rem attinet, accuratius me demonstraturum spero. At ille multis in locis neque ad praesentis neque ad perfecti infinitivum alia tempora recte referri putat, sed obliquae orationis tempora plerumque ad primarium verbum finitum referenda statuit, si quidem omnino referantur, cf. ib. p. 2 A: „Die Handlung des Nebensatzes kann sich auch beziehen auf die Zeit der Handlung nicht des zunächst übergeordneten Nebensatzes, sondern auf die des Hauptsatzes". p. 4: „Es gehört hierher auch das ganze weite Gebiet der abhängigen Rede". Et postquam Ciceronis loco quodam hoc probare conatus est, sic pergit: Noch deutlicher wird die Sache, wenn wir Sätze vergleichen wie *Dixi bene eum fecisse*, *quod mansisset.* Denn *mansisset* ist ja coincident zu *fecisse;* wie kann es also Antecedens sein? Es ist also nur Antecedens zu dixi". Cujus generis plura exempla affert (p. 5). Porro cf. p. 6. „Den Fehler, den L.-M. darin machen, dass sie die Beziehung auf den dem zunächst übergeordneten Satze übergeordneten Hauptsatz übersehen, ist ganz besonders folgenschwer geworden bei der Behandlung der Consecutio temporum nach den nominalen Verbalformen" (§§ 120—124) et p. 9: „Es heisst regelmässig: *Dixi bene eum fecisse*, *quod mansisset* wie wir eben sahen. Andererseits heisst es: *Dico bene eum fecisse*, *quod manserit* ... Woher der Unterschied? Offenbar kann das koincidente Verhältnis zwischen bene facere und manere uns keine Aufklärung geben; wir haben ja in beiden Sätzen die Form fecisse. Wenn nun, wie wir sahen, *mansisset* zu *dixi* in dem bezogenen Verhältnis der Antecedenz steht, so steht folgerichtig — nach L.-M.schen Grundsätzen — *manserit* in genau demselben Verhältnis zu *dico*". Immo vero optime illustrari in locis ejus generis temporum relationem ratione coincidentiae infra demonstrabimus. Nunc hoc moneam. Si in recta oratione *Bene fecisti*, *quod mansisti* propter ipsam coincidentiam sententiarum tempora congruere videmus — id quod non negat Wetzelius — eandem relationem neglectam credamus, cum ex dicendi verbo aliquo sententia pendeat? Verisimile non videtur. Vel si in his verbis *cum alio die dixisti*, *sobrius non fuisti* tempora congruunt, (quamquam sententiae mihi quidem non videntur coincidentes), hujus relationis Ciceronem oblitum judicemus, cum dixerit: *Confitere te*, *cum alio die dixeris*, *sobrium non fuisse (Phil. II, 33, 84)?* Vix crediderim. Praeterea si actiones, quae antecedunt ei, quae infinitivo per-

fecti significetur, plusquamperfectis exprimantur etiam tum, cum ex praesenti vel futuro oratio pendeat, ut referri tempora appareat ad infinitivi illius tempus, — nonne idem tum fieri necessarium videatur, cum congruant tempora? Videamus exempla: *Hoc uno complector omnia, neminem isto praetore senatorem fieri potuisse, nisi qui isti pecuniam dedisset. Verr. II, 51, 125. (Dico) ... patefactum nostris legionibus esse Pontum, qui antea populo Romano ex omni aditu clausus fuisset. Pomp. 8, 21. Tibi hoc concedam Minucio te ideo non tradidisse (sc. decumas), quod jam addixisses Apronio. Verr. III, 64, 151. Credo, cum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quaesisse, num e. q. s. Rosc. Am. 21, 59. Ille requisisse etiam dicitur Archimedem illum ..., quem cum audisset interfectum, permoleste tulisse. Verr. IV, 58, 131.* In omnibus his locis plusquamperfectis actiones significantur antecedentes eis, quae infinitivis dicuntur; nam si praesentibus illis (*complector*, *dico*, *concedam*, *credo*, *dicitur*) antecedentes actiones significarentur, non plusquamperfecti sed perfecti conjunctivus esse deberet. Referuntur igitur tempora ad infinitivos. Quod cum ita sit, an de his locis aliter judicandum videtur? *Fateor me errasse, qui hoc maluerim; fateor insanisse, qui cum illis senserim. Rosc. Am. 49, 142. Negat ingratis civibus fecisse se, quae fecerit. Mil. 35, 95. Fateatur ... se ... praedonum duces ... usque dum per me licuerit, retinuisse. Verr. I, 5, 12.* Nonne his in locis perfecta *maluerim*, *senserim* cett., quia congruunt tempora cum infinitivis *errasse*, *insanisse* ceteris, eadem ratione dici videntur, qua plusquamperfecta superioribus in locis, quia antecedunt eorum tempora infinitivis? Congruere autem magis non possunt tempora, quam si sententiae sunt coincidentes. At negat Wetzelius (cf. p. 88) coincidentiae ratione quicquam explicari in illis *Dixi bene eum fecisse, quod mansisset* et *Dico b. e. f. q. manserit*, cum in utroque eadem sit forma *fecisse*. Et sane forma quidem est eadem, sed vis ejusdem in utroque formae est diversa. Neque enim in se habet certi temporis notionem, sed ejus temporis habetur infinitivus, cujus est finitum verbum, cui adjungatur (cf. L.-M. V, § 109). Id jam Sanctius probe intellexit, cum dixit Min. I, 14: „cupio legere, seu legisse, praesentis est; cupivi legere, seu legisse, praeteriti; cupiam legere, seu legisse, futuri“ (cf. p. 86). Atque perfecti infinitivus, cum perfectam cujusque temporis actionem indicet, cum praesenti conjunctus perfecti praesentis vim continet, non ejus quidem, quod plane

pro praesenti est, velut *odi*, *novi*, sed ejus, quo antecedens proprio praesenti tempus significatur, ut in hoc *nuntio*, *quod vidi* (cf. L.-M. V, § 107). Cum praeterito autem conjunctus idem infinitivus perfectam in praeterito actionem significat, quam vim ex indicativi temporibus habet plusquamperfectum, ut ipse infinitivus perfecti, si quidem praeterito adjungitur, non injuria plusquamperfecti infinitivus dici possit. Qui potest igitur congruentia temporum aliter exprimi atque illis verbis *dico fecisse*, *quod manserit* et *dixi fecisse*, *quod mansisset?* Nam in altero loco *fecisse* est infinitivus perfecti praesentis (propter *dico*) in altero plusquamperfecti (propter *dixi*). Quae cum ita sint, hoc dico: quaecunque tempora in recta oratione ad primariam sententiam referantur, eadem, cum orationem obliquam feceris, eadem ratione ad eum infinitivum referri, quo primaria sententia exprimatur, ipsum autem infinitivum in eo versari tempore solere, quo finitum verbum dicendi vel sentiendi. Posse tamen etiam proprium et absolutum tempus infinitivo indicari infra videbimus (cf. p. 93. c. d).

Sed cum mutetur infinitivi et participii tempus mutato verbo finito cui adjungantur, quaerendum erit, id ipsum vb. finitum cujus sit temporis. Praesentis autem temporis vim solum praesens ipsum habet (plerumque etiam, cum doctorum virorum dicta, quae scripta exstant, afferuntur), raro perfectum praesens quorundam verborum, nisi antecedens praesenti tempus significat; futuri temporis non solum futurum et futurum exactum sunt, sed etiam imperativi, verba *possum*, *volo*, *necesse est* alia similia cum infinitivis juncta, conjunctivi potentialis et imperativus, qui et in primariis enuntiationibus et in secundariis, plerumque finalibus aut consecutivis, reperiuntur (cf. L.-M. V, § 100, Anm. 4). Praeteriti temporis sunt imperfectum, plusquamperfectum, perfectum (neque solum historicum et logicum, quod dicunt, sed etiam perfectum praesens tum, cum antecedens praesenti tempus eo significatur (cf. Wetzel. l. l. p. 31), id quod etiam infinitivo perfecti et conjunctivo potest fieri), praesens historicum, conjunctivus conditionalis praeteriti *(fecissem)*; alter conditionalis *(facerem)* praesentis est temporis (cf. L.-M. V, § 179). Sed cum ea verba, quae ad eum modum vel ipsa vel per alia referantur, conditionales formas ipsa ducere soleant (cf. L.-M. V, § 143, 2) eaeque formae praeteritorum temporum habeant species *(facerem, fecissem)*, inter praeterita tempora eas referri commodum putavi. Quos vero ad locos ea „modorum attractio“

quae vocatur non pertinet, eos suo quemque loco apposui (cf. Caecil. 2, 6, p. 92. b).

II. 1.

Atque ad praesentis infinitivum, cum is praesenti tempori adjunctus praesentis vim ipse habeat, praesentia referenda sunt, ut ea congruentia significetur temporum, quam rerum postulat coincidentia.

a.

Conjunctivum praesentis autem in his locis invenimus: *Putant enim, qui horride inculteque dicat, modo id eleganter . . . faciat, eum solum Attice dicere. Or. 9, 28. Concedo non esse miseros, qui mortui sint. tusc. I, 7, 14. Errare me putas, qui rem publicam putem pendere e Bruto. Att. XIV, 20, 3. de or. III, 24, 90. Sest. 53, 114. Efficitur igitur fato fieri, quaecunque fiant. fat. 10, 21. Sunt enim ignorantis, cum de aeternitate animorum dicatur, de mente dici. tusc. I, 33, 80. De ea re ita censeo . . . senatum existimare D. Brutum . . . optime de re publica mereri, cum senatus auctoritatem defendat. Phil. III, 15, 37. Verr. III, 54, 126. or. 3, 12. Dicunt enim Stoici . . . tolli omnia, si visa tollantur. Ac. pr. II, 33, 108. Gratum mortuis se facere, si graviter eos lugeant, arbitrantur. tusc. III, 29, 72. fin. V, 8, 22. Ita censeo . . . senatum existimare . . . quod provinciam Galliam citeriorem . . . exercitumque in senatus potestate retineat, id eum . . . recte atque ordine exque re publica fecisse et facere. Phil. III, 15, 38* (quo in loco retinendi verbum, quia ad alterutrum infinitivorum referri necesse fuit, ad inf. *facere* est relatum). — *Testatur saepe Chrysippus* (sc. in scriptis) . . . *qui summum bonum dicant id esse, si vacemus omni molestia, eos invidiosum nomen voluptatis fugere, sed in vicinitate versari, quod facere eos etiam, qui illud idem cum honestate conjungerent. Ac. pr. II, 45, 138. Ait* (sc. Clitomachus in eo libro, quem ad C. Lucilium scripsit) *vehementer errare eos, qui dicant ab Academia sensus eripi. Ac. pr. II, 32, 103. Ais* (sc. libro I. c. 11), *cum dolore careamus, tum in summa voluptate nos esse. fin. II, 3, 10.* — Perfecti praesentis conjunctivus pro praesentis est in hoc loco: *M. Quid dicis ergo? A. Miserum esse verbi causa M. Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit, miserum Cn. Pompejum, qui tanta gloria sit orbatus, omnis denique miseros, qui hac luce careant. tusc. I, 6, 12.* Offendi potest in hoc loco: *Dicunt nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non*

fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit. Mur. 29, 61. Neque enim *suffocaverit* perf. praes. est neque suffocandi actio antecedit delinquendo, sed ipsum est delictum. Mihi quidem videtur, cum communis sit loci sententia, quam in posterum maxime Stoici valere voluerint, infinitivo *delinquere* futuri notionem subesse (cf. p. 66. 7) et *suffocaverit* pro futuri exacti conjunctivo esse existimo, ut ea temporum sit ratio, quam explicavimus p. 68 sq. (cf. p. 96. b).

b.

Sequuntur octo loci, in quibus indicativus praesentis est. Quibus in locis et ubicunque in obliquis sententiis coincidentibus indicativus invenitur, dubitari potest, an ad primaria verba dicendi potius secundariae enuntiationes sint referendae, cum saepe cum iis quoque tempora congruant. Sed cum sententiae secundariarum enuntiationum et infinitivorum sint coincidentes inque eam relationem tempora conveniant, discrimen facere nolui. Ejus generis loci sunt hi: *Eos qui nec inepte dicunt nec odiose nec putide, Attice putat dicere. Brut. 82, 284. Haec quae mei testes dicunt, fatetur adversarius eos vere dicere. Tull. 24. Nisi forte, quae vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur. tusc. IV, 23, 51. Satis putant se scire, quod sciunt. fam. IX, 10, 3. Puto me hoc, quod facio, facere serius. ib. XIII, 17, 2. Si . . . hoc quod facio, me rei publicae causa facere profiterer. Caecil. 2, 6* (cf. p. 90 inf. de modo conditionali). *Tum servare illud poetas quod deceat dicimus, cum id quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur. off. I, 28, 97. Quod mihi de nostro statu . . . gratularis, minime miramur te tuis . . . praeclaris operibus laetari. fam. I, 7, 7.*

2. a.

Cum futuro conjunctus praesentis infinitivus ipse futuri vim recipit. Sed pro conjunctivo futuri conjunctivum praesentis esse, cum primaria sententia habeat futurum, satis notum est. *Neminem conveniet arbitrari nos, cum aliquod exemplum ponamus, quod in senatu agatur, ab judiciali genere recedere. inv. II, 37, 110. Dicet dupliciter esse te injustum, cum et alienum adpetas . . . et graviter feras . . . tusc. III, 17, 36. Loci communes* (sc. erunt) . . . *eum commodissime scribere, qui curet, ut quaedam ex quibusdam intelligantur. inv. II, 50, 152. Si quis est, qui et se et causam laedi putet, cum Chrysogonus vituperetur. Rosc. Am. 49, 142. Cujus tantum est ingenium . . . ut, quidquid inde haurias, purum te liquidumque haurire sentias.*

Caec. 27, 78. Demoveri et depelli de loco necesse est eum, qui dejiciatur. Caec. 18, 49, cf. ib. 17, 49.

b.

Indicativum futuri pro conjunctivo invenimus in his locis: *Mementote igitur, cum audietis psephismata, non audire vos testimonia, audire temeritatem vulgi e. q. s. Flacc. 8, 19. Aliquid te populare putabis habere, cum dices . . . Verr. III, 19, 48. Civitas . . . si voce L. Crassi carebit, ornamento quodam sese spoliatam* (i. e. sese carere) *putabit. de or. II, 33, 144. fam. XII, 10, 3. XV, 20, 3, cf. fam. X, 11, 1. ep. Planci.* Futuris actionum congruentia in his locis non significaretur, nisi infinitivis futurorum vis esset attribuenda.

c.

Sed quattuor sunt loci, in quibus non futuri, sed praesentis indicativus legatur, hos dico: *Cum dico nihil istum ejus modi rerum in tota provincia reliquisse, Latine me scitote, non accusatorie loqui. Verr. IV, 1, 2. Quod cum dico, legem a me dici intelligi volo. leg. III, 1, 3. Nunc id quod facimus . . ., necessario fieri intelliget. Verr. act. I, 18, 55. Vereor ne se derideri putet, quod iterum jam dico optimus. Quinct. 5, 19.* His in locis futurae notionis infinitivos nihil habere apparet. Qua de re concedamus necesse est posse infinitivum praesentis, cum pendeat ex futuro, propriam praesentis notionem habere.

d.

Itaque ne conjunctivos quidem semper pro futuris esse judicandum videtur, sed saepe eos una cum ipsis infinitivis, cum pendeat ex futuro oratio, praesentis temporis vim retinere putamus, id quod in his locis fieri videtur: *Ut scias . . . me quod faciam et grate et pie facere. Planc. 41, 98. Noli putare pigritia me facere, quod non mea manu scribam. Att. XVI, 15, 1. Id vero desinant dicere: qui subtiliter dicant, eos solos Attice dicere. opt. gen. or. 4, 12. Att. XIV, 17. A, 2 (= fam. IX, 14). de or. I, 49, 214.* Ejusdem generis in his locis perfectum praesens est pro praesenti: *Idque prae me feram, et quidem me mea causa facere et rei publicae, cur illum oderim. Att. XVI, 15, 1.* (Suspectum est in hoc loco illud *facere . . . cur*, quod in nullo alio loco invenitur. Atque Orellius omisso verbo *me*, quod in cod. M. non exstat, et verbo *facere* aut deleto aut mutato in *feram* sic scribi mavult: *idque prae me feram, et quidem mea causa [feram] et rei publicae, cur illum oderim.* Sed pro v. *cur* in M.

est *cui*. Qua re facilius et codicis auctoritati et usui sermonis Latini satisfieri puto, si cum Bootio legatur sic: *et quidem me mea causa facere et rei publicae, q u i illum oderim, cf. p. 36 et 27. 2.). Quisquam vos consules tunc fuisse aut nunc e s s e consularis p u t e t, qui ejus civitatis . . . non leges, non instituta . . . n o r i t i s? Pis. 13, 20. Fac . . . me a te h a b e r e vitam, quia non a te s i t erepta. Phil. II, 24, 60.*

3. a.

E p r a e t e r i t o t e m p o r e pendens cum praesentis infinitivus fiat imperfecti, imperfecta ad eum referri consentaneum est. Atque c o n j u n c t i v u m habent hi loci: *C l a m a b a t se quae f a c e r e t, contra salutem meam, f a c e r e auctore Cn. Pompejo. Sest. 17, 39. Non c o n c e d e r e n t omnia, quae f i e r e n t, f i e r i causis antecedentibus. fat. 11, 23. Eos, qui persuadere v e l l e n t esse aliquid quod comprehendi et percipi posset, inscienter f a c e r e d i c e b a n t. Ac. pr. II, 6, 17. Apelles pictores quoque eos p e c c a r e d i c e b a t, qui non s e n t i r e n t quid esset satis. or. 22, 73. Quoniam semel i n d u x i t animum, sibi l i c e r e, quod v e l l e t. Att. XIV, 13, 6. N e g a b a s eos e s s e, qui mortui e s s e n t. tusc. I, 6, 12. Chius Aristo d i x i t solum bonum e s s e, quod honestum e s s e t. leg. I, 21, 55. Ut dicere in contione non d u b i t a r e t, bona civium Romanorum cum v e n d e r e t, se praedam suam v e n d e r e. Verr. III, 35, 81. Sic modo d e c r e v i t senatus, D. Brutum optime de re publica m e r e r i, cum senatus auctoritatem populique Romani libertatem imperiumque d e f e n d e r e t. Phil. IV, 4, 8* (cf. ib. III, 15, 37, p. 91). *H a b e t* (praes. hist.) *orationem talem consul . . . ., e r r a r e homines, si . . a r b i t r a r e n t u r. Sest. 12, 28. Si quid tu a g e r e s, l e v a r i me p u t a b a m molestia. fam. III, 6, 5. Nec enim ei cornix c a n e r e p o t u i t recte eum f a c e r e, quod populi Romani libertatem defendere p a r a r e t. div. II, 37, 78. Ut ita d i c e r e t . . . quotiens conjugem, quotiens domum, quotiens patriam v i d e r e t, totiens se beneficium meum v i d e r e. Att. I, 14, 3. D i x i s t i, dum Plancii in me meritum verbis e x t o l l e r e m, me arcem f a c e r e e cloaca. Planc. 40, 95. Qui denique, ut Africanum avum meum scribit Cato s o l i t u m e s s e dicere, possit idem de se praedicare, nunquam se plus a g e r e quam nihil cum a g e r e t e. q. s. rep. I, 17, 27.* (Quo in loco obliqua oratio ad interpositae enuntiationis verba *solitum esse dicere* adjuncta est, cf. L.-M. V, § 125, 3). *Cum antiqui omne, quod secundam naturam e s s e t, quo juvaremur in vita, bonum e s s e d e c r e v e r i n t e. q. s. leg. I, 20, 54* (cf. p. 74 de eodem loco). *de or. I, 18, 83. sen. 4, 11. Sest. 10, 23. de or. I, 20, 92.*

55, 236. II. 73, 296. Ac. pr. II, 42, 129. fin. III, 11, 39. tusc. I, 7, 14 off. III, 3, 11. Sest. 48, 103. post. red. I. 10, 25. — Perfecti praesentis participium eandem, quam praesentis infinitivus notionem habet hoc in loco: *Quis non maximo se affectum beneficio putavit* (i. e. se frui beneficio), *cum tribus decumis pro una defungeretur. Verr. III, 16, 42.* Similiter pro imperfecti conjunctivo plusquamperfecti est ejus generis, de quo dictum est L.-M. V, § 105, in hoc loco: *Praescribere enim se arbitrabatur, ut sine studiis dissensionis sententiae dicerentur, si sedem ipsam ac templum publici consilii religione Concordiae devinxisset* (i. e. devinctum teneret). *dom. 51, 131.* Alia ratio videtur in his verbis: *Domitius se derideri putasset, si esset a me rogatus. Q. fr. II, 15, 3* in quibus infinitivum praesentis non solum praeteriti temporis notionem, sed etiam conditionalem vim ex verbo *putasset* duxisse puto, ut eadem sit ratio ac si sic loquamur: *Derisus esset, si esset rogatus.* Sed uno in loco tempora nullo modo congruere videntur, qui his verbis scribitur: *Mihi tum denique se salutem putavit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis dedisset. Lig. 3, 7.* Qui locus simili ratione explicandus videtur, atque quem supra (p. 92) legimus, *Mur. 29, 61.* Infinitivum *reddere* enim ad futurum quodammodo spectare existimo et verbum *dedisset* pro futuri exacti conjunctivo accipio (cf. p. 96, b).

b.

Indicativus imperfecti in secundariis enuntiationibus legitur in his locis octo: *Ea, quae faciebat, tua se fiducia facere dicebat. Verr. V, 68, 176. Nisi se Cn. Pompejo adjutore, M. Crasso auctore, quae faciebat, facere clamaret, . . . tam sceleratus rei publicae vexator esse potuisset? har. resp. 22, 47* (cf. L.-M. V, § 179, Anm. 5). *Tu ludi te non intellegebas, cum tibi haec recitabant . . . Flacc. 31, 76. (Ager Campanus) cum de vectigalibus eximebatur, . . . tamen infligi magnum rei publicae vulnus putabamus. Phil. II, 39, 101 (cf. p. 53). Phil. V, 4, 12. Arch. 12, 30. Verr. II, 35, 86. fam. III, 10, 2* (cf. quae de indicativo diximus p. 92 b).

III.

Infinitivo futuri, qui dicitur, instantem cujusque temporis actionem significari ex ipsa forma intelligitur. Nam *amaturum esse* non magis futuri temporis esse quam *amaturus est* apparet (cf. L.-M. V, § 109, Anm. Gossrau § 469). Sed instantis actionis cum finiti verbi formae desint, conjunctivi hoc munus in suo quisque tempore suscipere videntur. Certe

indicativus cum infinitivo futuri, qui pendeat ex praesenti vel praeterito, nullus conjungitur (de *Sull. 1, 2.* cf. p. 97. 3).

1. a.

Atque praesentis temporis instantem actionem praesentis, praeteriti imperfecti conjunctivus significat. Ejus generis hi sunt loci: *Existumant dis immortalibus se facilius satis facturos, si eorum plaga perculsi adflictos et stratos esse fateantur. tusc. III, 29, 72. Arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacunque ratione. off. I, 14, 43. Negat quemquam jucunde posse vivere, nisi idem honeste sapienter justeque vivat. tusc. V, 9, 26. Quem ad modum hujus tui facti famam in regna aliorum atque in ultimas terras perventuram putasti, cum audirent a praetore populi Romani in provincia violatum regem . . .? Verr. IV. 30, 68 (cf. p. 54 sq.).*

b.

At multo saepius pro praesentis aut imperfecti conjunctivis, cum pendet oratio ex praesenti aut praeterito, inveniuntur perfecta aut plusquamperfecta, velut in his locis: *Existimo . . . gratum te his . . . facturum, si ista exposueris. de or. I, 24, 110. Satis putabat se ad comitia tempore venturum, si pridie venisset. Verr. II, 52, 128.* Sed apparet eadem ratione in his locis tempora conjungi, qua recta oratione in talibus: *Id facies, si omne genus liberalitatis . . . exprompseris. fam. XIII, 6, 4. Omnia si dederis oscula, pauca dabis. Prop. III, 7, 50.* Quibus in locis etsi antecedere tempus tempori videatur, tamen congruere tempora quodammodo putanda esse supra demonstrabamus (p. 67 sqq.). Nec aliter de his locis sentio. Quodsi quis quaerat, cur Cicero multo saepius in obliqua oratione (in locis viginti) quam in recta (erant tres loci p. 68) hac ratione usus sit, respiciendum videtur infinitivo futuri exacti activi sermonem latinum carere, ut etiam hanc rectam orationem *gratum feceris, si exposueris* oblique sic dici necesse sit: *gratum te facturum esse, si exposueris;* nam *fuisse facturum* conditionalem notionem contineret (cf. p. 98, 4). Hujus generis etiam hi sunt loci: *Persuasum est* (pf. pr.) *Sardis se nihil Appio gratius esse facturos, quam si de Scauri fama detraxerint. Scaur. 16, 36. Puto te sapienter facturum, si ἀκενόσπουδος fueris. fam. XV, 17, 4. Quis hoc non perspicit, praeclare nobiscum actum iri si populus Romanus istius unius supplicio contentus fuerit. e. q. s. Verr. I, 4, 9. Non solum si vi interissem, sed etiam si morbo exstinctus essem, fore putabam ut exemplum*

rei publicae conservandae mecum simul interiret. Sest. 22, 49. Ille vidit, quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum se de hujus praesidiis deminuturum. Sull. 1, 2. Praedicabas te non existimare, nisi illum interfecisses, unquam mihi pro tuis in me injuriis satis esse facturum. Phil. II, 20, 49. Cum ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius facere posse, quam si ad Sidam navigassem. fam. III, 6, 1. har. resp. 8, 15. Q. fr. II, 1, 2. Verr. I, 47, 123. III, 58, 133. Sull. 1, 2 (iterum). Sest. 7, 15. ep. ad. Brut. I, 14, 2.

2.

Ex futuro oratione apta cum infinitivo futuri 'futuri temporis actio instans significetur, cum hac notione neque conjunctivus ullus neque indicativus plane congruit. Sed cum instans futuri temporis actio facillime confundatur cum quavis actione futura, non sine ratione ei formae haec vis mihi quidem attribui videtur, qua absolute, i. e. sine status actionis discrimine, futurum tempus exprimatur, futurum exactum dico ejus generis, quod explicare conati sumus p. 68 sq. Hanc temporum rationem pertinere existimo ad hos locos: *Meminero . . . me Siculis satis esse facturum, si quae cognovi . . . diligenter exposuero. Verr. II, 73, 179. Sic velim existimes, te mihi nihil gratius facere posse, quam si intellexero per te illum ipsum negotium ex sententia confecisse. fam. XIII, 57, 2 (cf. fam. XIII, 33. 17, 3. 60, 2. p. 37 sq.). Tantum te admonebo, si illi absenti salutem dederis, praesentibus his omnibus daturum. Lig. 12, 38. Sic velim existimes, quibuscunque rebus Caerelliae benigne feceris, mihi te gratissimum esse facturum. fam. XIII, 72, 2. Velim . . . tibi persuadeas . . . nihil te mihi gratius facere posse, quam si omnibus tuis opibus . . . Lamiam . . . juveris. ib. XI, 17, 2.* Semel cum a futuro pendeat infinitivus futuri, praesentis conjunctivum invenimus: *Intelligetis . . . omnem utilitatem nos hujus interdicti, dum versuti et callidi velimus esse, amissuros. Caec. 19, 55 (cf. p. 48. d, α.)*

3.

Uno in loco, quamquam ex praesenti pendet oratio, tamen futuri indicativus cum infinitivo conjungitur, hunc dico: *Hoc ego sentio, si mei facti rationem vobis . . . probaro, causam quoque me P. Sullae probaturum. Sull. 1, 2.* Quo in loco infinitivum *probaturum esse* propriam temporis vim habere apparet, quod idem saepius fieri in praesentis infinitivo ex futuro pendenti supra p. 93. c. sq. videbamus (cf. infra p. 103. c). Neque dubium videtur, quin in aliis quoque exem-

plis eadem valeat ratio. Sed ubicunque de modo verbi non certum est judicium, ne hoc quidem potest dijudicari. Etiam unus locus est, in quo conjunctivus plusquamperfecti legitur, quamquam ex praesenti oratio pendet: *Censeo . . . senatui placere . . . regem Dejotarum patrem et regem Dejotarum filium, si . . . C. Cassium pro consule copiis suis opibusque juvissent, senatui populoque Romano gratum esse facturos. Phil. XI, 12, 31.* Sed recte judicat Reuschius (Zur Lehre von der Tempusfolge. Progr. Elbing 1861. II. § 5) in orationibus Philippicis extremis Ciceronem sententiam suam eis fere verbis pronuntiare solere, quibus ipsum de ea re senatus consultum fieri velit, ut referantur verba non ad *censeo*, quod antecedat, sed ad exordium illud senatus consultorum: *Quod M. Tullius verba fecit, de ea re ita censuerunt* (cf. Wetzel. diss. p. 31). Idem valere et in nostro et in his locis videtur *Phil. VIII, 11, 33. XIII, 21, 50* (cf. p. 105 sq.). Neque vero minus saepe ad praesens *censeo* tempora verborum referuntur, cf. *Phil. III, 15, 37. 15, 38* (p. 91. a) *V, 13, 36. X, 11, 25* (p. 100)*).

4.

Is infinitivus, qui participio passivi et verbo *fore* efficitur (velut *amatum fore*), cum adjungitur praeterito, statum continuum in praeterito tempore instantem significat. Congruunt igitur tempora, si in secundaria enuntiatione conjunctivus plusquamperfecti est ea sententia, qua praeteriti temporis status continuus exprimatur (cf. L.-M. V. § 105). Nam instans actio ipso conjunctivo satis indicatur. Quam rationem in hos locos quadrare censeo: (*Dicunt Peripatetici*, sc. in libris cf. p. 90) *metum si qui sustulisset, omnem vitae diligentiam sublatam fore. tusc. IV, 20, 46. Existimasti . . . satis cautum tibi ad defensionem fore, si aut referri aliquid in litteras publicas vetuisses aut, quod relatum esset, tolli coegisses. Verr. I, 35, 88.* Perfecti conjunctivus cum simili infinitivo congruit, cum ex praesenti pendeat oratio, hoc loco: *Mea quidem . . . haec sententia est, qui reliquias belli oppresserit, eum totius belli confectorem fore. fam. X, 20, 3*, in quo *confectorem fore* pro infinitivo futuri exacti activi est (cf. p. 67, fam. X, 13, 2. 19, 2). Nam *confecturum fuisse* eam vim neque posset habere neque apud Ciceronem quidem ullam praeter

*) Mirum in modum utrumque est confusum in hoc loco: *Censeo . . . senatui placere, ut C. Pansa A. Hirtius consules . . . iis, qui sanguinem . . . profudissent, monumentum . . . locandum faciendumque curent. Phil. XIV, 14, 38.*

conditionalem vim habet. Itaque, quod ad Ciceronis quidem scripta attinet, non recte Gossravius § 469 dicit: „*Scio te scripturum fuisse:* dass du hast schreiben wollen, oder conditional: dass du würdest haben schreiben wollen". Unus conditionalis sensus ejus formae apud Ciceronem invenitur, ut cum ea conditionalis conjunctivus congruat, etiam ubi ex praesenti oratio pendeat, cf. *Dicat me, si multa dixissem, sublevaturum fuisse eum. Verr. I, 9, 24.*

IV. 1.

Perfecti infinitivus cum praesenti finiti verbi tempore conjunctus semper perfectam in praesenti actionem significat, ejus quidem generis, quod p. 89 inf. notavimus. Qua de re coincidentibus sententiis semper perfecta ad eum referuntur aut conjunctivi (cf. L.-M. V. § 124) aut indicativi modi.

a.

Atque conjunctivi exstant in his locis: (*Populus*) *judicat . . . eum, qui, cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abjudicavisse. Caec. 34, 99. Ex quo intelligi par est eos, qui perniciosa et injusta populi jussa descripserint, . . . quidvis potius tulisse quam leges. leg. II, 5, 11. Verius est nimirum illud . . ., quae is de deis immortalibus dixerit, invidiae detestandae gratia dixisse. de. nat. I, 44, 123. Dubitamus . . . qui hac virtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuisse? Brut. 80, 279. Quem enim ardorem studii censetis fuisse in Archimede, qui . . . ne patriam quidem captam esse senserit. fin. V, 19, 50. Existimo Panaetium, cum dixerit homines solere in hac comparatione dubitare, hoc ipsum sensisse, quod dixerit, e. q. s. off. III, 4, 18. Cum sint homines, qui illum, cum profectus sit, ejectum esse dicant . . . Cat. II, 7, 15. Nisi forte censes Ti. Gracchum patrem non beatiorem fuisse quam filium, cum alter stabilire rem publicam studuerit, alter evertere. fin. IV, 24, 65. Magnum te fecisse arbitrare, si pluris vendideris quam L. Hortensius. Verr. III, 16, 42. Perspicuum profecto est, si neque amens pater neque perditus filius fuerit, neque odii causam patri neque sceleris filio fuisse. Rosc. Am. 14, 41. Si tu absolutus sis, funditus eversas se esse arbitrantur. Verr. II, 47, 115. Scribunt ad me amici ejus me illi nullo modo satis fecisse, quod in senatum non venerim. Att. X, 8, 3. Id a me recte factum puto, quod non statim . . . litteras miserim. fam. III, 9, 4. Insanisse se confitetur, quod suam, quod amicorum pecuniam regi crediderit.*

Rab. Post. 9, 25. Hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum a me paulo esse obscurius. de or. I, 41, 187. De quo (i. e. Chrysippo) *queri solent, Stoici, dum studiose omnia conquisierit contra sensus et perspicuitatem . . ., ipsum sibi respondentem inferiorem fuisse. Ac. pr. II, 27, 87. Existimo . . . nec Marcellum apud Clastidium ideo fortem fuisse, quia fuerit iratus. tusc. IV, 22, 49* (quod ad harum sententiarum coincidentiam attinet, cf. ib. § 50, *quam vos iracundiam esse vultis, . . . fortitudo). Existimo . . ., quoniam de re publica multa quaesierint et scripserint, functos esse aliquo rei publicae munere. rep. I, 7, 12. Ostendo non modo nihil eorum fecisse Sex. Roscium, sed ne potuisse quidem facere, quod neque Romae multis annis fuerit, neque de praediis unquam temere discesserit. Rosc. Am. 29, 79. Ita censeo: cum Q. Caepionis Bruti pro consule opera, consilio, industria, virtute . . . legiones, exercitus, equitatus in consulum, senatus populique Romani potestate sint, id Q. Caepionem pro consule bene et e re publica . . . fecisse. Phil. X, 11, 25.* Quo in loco haec verba *in potestate sint* perfectam actionem continere, velut *sub potestatem redacti sint*, ex ablativis illis *opera*, *consilio cett.* colligitur. Simili ratione in alio loco praesentis conjunctivus cum conjunctivis perfecti conjunctus invenitur, dico hunc locum: *His verbis . . . senatus consultum faciendum censeo: cum D. Brutus imperator, consul designatus, provinciam Galliam in senatus populique Romani potestate teneat, cumque exercitum . . . conscripserit, compararit, id eum recte et ordine exque re publica fecisse. Phil. V, 13, 36* (cf. p. 98). — *Quinct. 20, 62. Rosc. Am. 49, 142. Mil. 3, 8. 35, 95 (cf. p. 89). Sull. 2, 4. or. 4, 15. leg. II, 5, 11. Brut. 14, 54. 73, 254. fin. V, 22, 64. off. III, 7, 34. fam. VII, 1, 1. Verr. III, 66, 155. Phil. XII, 7, 15. fam. IX, 1, 2. Q. fr. I, 1, 26. Att. I, 8, 1.* Huc etiam hunc locum pertinere censeo: *Scio te semper mecum in luctu fuisse, cum viderimus cum illud ingens malum alterius utrius exercitus et ducum interitum, tum vero e. q. s. fam. IX, 6, 3.* Recte enim in cod. M. legi judico *viderimus*, neque cum Orellio, Baitero, ceteris scribendum duco *videremus.* Nam optime congruunt tempora *viderimus* et *in luctu fuisse*, ut hoc exprimatur: videre illud ingens malum et lugere unum fuisse. Et recta oratione dici potuit *semper in luctu fuimus, cum vidimus* (cf. p. 44. δ).

b.

Omnes hi loci sunt septem et triginta numero. — Indicativus perfecti invenitur in his locis sedecim. *Nemo est*

tam imperitus, qui ea, quae g e s s i *in consulatu,* p e c c a t a e s s e *dicat. dom. 27, 72. Quod honoris causa pater filio suo* c o n c e s s i t, *id eum supplicii causa* f e c i s s e *dicis. Rosc. A. 15, 44. Quod quisque* d i x i t, *me id* d i x i s s e *dicunt. Planc. 14, 35. Solet haec, quae* r a p u i t *et* f u r a t u s e s t, *nonnunquam dicere se* e m i s s e. *Verr. I, 22, 60. Quod sibi* e x e g i t, *id commune societatis* f a c t u m e s s e *contendo. Rosc. Com. 17, 52. Vi* p u l s o s *dicimus exercitus* e s s e *eos, qui metu ac tenui saepe suspicione periculi* f u g e r u n t. *Caec. 15, 43. Quidquid in hac causa mihi* s u s c e p t u m e s t, *Quirites, id omne ego me rei publicae causa* s u s c e p i s s e *confirmo. Pomp. 24, 71. Bis a me patriam* s e r v a t a m e s s e *concedis, semel, cum id* f e c i, *quod . . ., iterum, cum tuum . . . impetum meo corpore* e x c e p i. *dom. 29, 76. Si furorem incredibilem biennio ante conceptum erupisse in meo consulatu* s c r i p s i, *me hoc* d e m o n s t r a s s e *dicis e. q. s. Sull. 24, 67. off. II, 11, 38. rep. III, 5, 6. Verr. V, 47, 123. Rosc. A. 40, 116. Mur. 24, 48. Caec. 34, 99. Sest. 16, 36. ep. ad Brut. I, 3, 3.* Etiam p a r t i c i p i a p e r f e c t i cum infinitivis congruunt in his locis: *Qua* (sc. adoptione) s u b l a t a *intellegis totum tribunatum tuum* c o n c i d i s s e. *dom. 14, 38. M. enim Marcello vobis, patres conscripti, reique publicae* r e d d i t o *non illius solum, sed etiam meam vocem . . .* c o n s e r v a t a m *ac* r e s t i t u t a m *puto. Marc. 1, 2.*

c.

Duobus in locis coincidentes sententiae infinitivo perfecti et indicativo imperfecti continentur. *Consolatio est* v i d i s s e *me plus quam ceteros, cum* c u p i e b a m *quamvis iniqua conditione pacem. fam. VI, 4, 4. Recordor haec me tum* v i d i s s e, *cum secundas etiam res nostras . . .* p e r t i m e s c e b a m v i d e b a m q u e *e. q. s. fam. IV, 14, 2.* Quibus de locis non aliter judicandum videtur atque de eis, in quibus recta oratione perfecta et imperfecta erant conjuncta (cf. p. 64 et 76. 5. a). Atque eo facilius infinitivus perfecti cum imperfectis potuit conjungi, quia, cum finitum verbum est praesens, non potest alio infinitivo praeterita actio indicari. Profecto recta oratione Cicero dixisset sic: *videbam plus quam ceteri, cum cupiebam. Cf. de or. I, 62, 264 Majus quidam videbam, cum censebam.*

2.

Cum a d f u t u r u m t e m p u s aliquod (cf. p. 90) refertur, i n f i n i t i v u s p e r f e c t i ipse futuri temporis actionem perfectam significat. Tum igitur futurum exactum cum eo congruit aut indicativi aut conjunctivi modi, cujus quidem vice perfecti conjunctivum fungi constat. Atque pares fere numero

sunt ii loci, qui indicativum atque ii, qui conjunctivum habent.

a.

Conjunctivum autem in his locis agnoscendum puto: *Quae* (sc. arma) *qui non habuerint, eos inermes fuisse vinces. Caec. 21, 60. Defendendum sit, eum, qui pulsus fugatusque sit, non esse dejectum. ib. 23, 64. Ostendet . . . quod minus, quam convenerit, factum sit, culpa id alterius accidisse. inv. II, 29, 89. Quidquid officii, beneficii, honoris in Genulicium contuleris, id te existimabo in me ipsum atque in rem meam contulisse. fam. XIII, 53, 2. Quidquid feceris, id cum recte tum etiam mea causa factum putabo. Att. XII, 18, 4. Erit enim nobis honestius, etiam cum hinc discesserimus, videri venisse in illa loca ploratum potius quam natatum. fam. IX, 2, 5. Qui homines tam agrestes, qui se, cum eos adspexerint, non maximum cepisse vitae fructum putent? Phil. II, 13, 33. Desinant dicere male aliquem locutum esse, si qui vere ac libere locutus sit. Rosc. Am. 48, 140. Hoc possum dicere, me . . . satis adeptum fore, si ex hoc tanto in omnis mortalis beneficio nullum in me periculum redundarit. Sull. 9, 27 (cf. p. 98. 4). Demonstrandum erit defensori . . . si dubitarit, summae fuisse amentiae. inv. II, 8, 27. Ne . . . meum laudet ingenium, cum dicat, me . . . quia non dixerim, perdidisse* (sc. eum, quem contra dicerem). *Verr. I, 9, 24. inv. II, 33, 101. 35, 106. Caec. 16, 46. 23, 64. Planc. 18, 44. Phil. II, 3, 5. Att. XIV, 13, 3. Rosc. Am. 48, 140. Caecil. 22, 73. Verr. III, 95, 220. div. II, 53, 108. fam. XV, 4, 11. (cf. epp. Caelii fam. VIII, 8, 6. 16, 5).*

b.

Indicativus futuri exacti in his locis mihi videtur exstare: *Nunquam sero te venisse putabo, si salvus veneris. fam. XVI, 12, 6. Omnia a te data mihi putabo, si te videro. fam. XVI, 13. Si a Caesare, quod speramus, impetrarimus, tuo beneficio nos id consecutos esse judicemus. fam. XIII, 7, 5. Ego si hominem per te reciperaro, summo me a te beneficio affectum arbitrabor. ib. XIII, 77, 3. Si licuerit* (sc. decerni libere), *libertatem esse recuperatam laetabor. Att. XIV, 14, 4. Tu vim negabis factam, si caedes et occisio facta non erit? Caec. 14, 41. Si te jam, Catilina, comprehendi, si interfici jussero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. Cat. I, 2, 5. Poterisne dicere dejectum esse eum, qui tactus non erit?*

Caec. 17, 49. Quae (sc. memoria) *dum erit in vestris fixa mentibus, tutissimo me muro saeptum esse arbitrabor. Cat. IV, 11, 23. Ne me hodie, cum isti, ut provocavit, respondero, oblitum esse putetis mei. Phil. II, 5, 10. fam. XIII, 76, 2. 29, 5. III, 10, 2. XV, 4, 16. V, 17, 5. Att. II, 22, 5. Verr. V, 67, 173. 49, 130. Phil. XII, 12, 28. dom. 57, 145.* Uno in loco praesens invenimus pro fut. ex., qua de re cf. p. 66. 7. et p. 67 *Unum vero si addis ad praeclarissimas res consulatus tui, ... omnia me per te consecutum putabo. fam. XV, 9, 2.* — In his locis omnibus obliquam rationem non pertinere ad secundarias enuntiationes apparet. Tamen cum sententiae sint coincidentes, tempora congruere necesse est (cf. p. 92. b).

c.

Sed id quod in infinitivo praesentis nonnunquam, raro in infinitivo futuri fieri videbamus, ut infinitivus suum proprium habeat tempus (cf. 93. c. sq. 97. 3.) idem saepe ad perfecti infinitivum pertinet, cum adjungitur futuro. Quae res facile eo intelligitur, quod cum infinitivo congruit indicativus perfecti, non futuri exacti. Cujus generis hos locos inveni: *Reperietis eos, qui sine repulsa consules facti sunt, diuturno labore atque aliqua occasione esse factos. leg. ag. II, 2, 3. Non enim me hoc jam dicere pudebit, ... nos ea, quae consecuti sumus, iis studiis et artibus esse adeptos, quae ... Q. fr. I, 1, 28. Quod sine ulla dubitatione apud consules obtinuimus ..., id tu nos obtinuisse ... gaudeas. Att. XVI, 16B. 9. Quod ii fecerunt, rectissime ac sapientissime factum probetis. Cluent. 38, 107. Intellegendum est eos, qui haec rebus nomina posuerunt, sensisse hoc idem, quod ... tusc. III, 5, 10. Quae fecisti L. Lucceii causa, scire te plane volo te homini gratissimo commodasse. fam. XIII, 41, 1. Ne ... homines ... dementes fuisse judices ... legionem Martiam, legionem quartam, quae suum consulem hostem judicaverunt e. q. s. fam. XI, 7, 2. Dic Flavium cum Fannio de Panurgo decidisse, qui nihil transegit, dic HS ccciɔɔɔ dedisse, qui assem nullum dedit. Rosc. Com. 16, 49. Fac id te dedisse mihi, quod non ademisti. Phil. II, 24, 60. ep. ad Brut. I, 14, 2.* Etiam uno in loco, quo imperfecti indicativi inveniuntur, infinitivus praeteriti temporis esse putandus est, quamquam pendet ex futuro. De imperfectis vero idem judicandum est, quod supra p. 101. 64. 76. 5. a. Is locus *Pis. 24, 56* scribitur his verbis: *Cum extinguebas senatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis, addicebas tribuno plebis consulatum tuum, rem publi-*

cam evertebas e. q. s., cujus tandem te rei cupiditate arsisse defendes?

d.

Sed etiam cum conjunctivus perfecti cum infinitivo perfecti a futuro pendenti conjungitur, haud ita raro proprium tempus infinitivo significari ex ipsa sententia cogitur. Huc pertinere hi loci videntur: *Hoc Bruto nostro velim dicas, illum fecisse non belle, qui adventu meo . . . discesserit. Att. V, 17, 6. Dici in hac causa potest, ubi arma fuerint, . . . ibi vim non fuisse? Caec. 14, 41. Nolite existimare me ipsum . . ., quae in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. de or. II, 47, 194. Respondebunt tibi . . . dejici porro nullo modo potuisse, qui non accesserit. Caecin. 13, 36. Scribant ad Caesarem me, quidquid fecerim, de sua sententia fecisse. Att. XI, 6, 3. Quis enim putare vere potest, plus egisse Dionysium tum, cum omnia moliendo eripuerit civibus suis libertatem, quam ejus civem Archimedem, cum istam sphaeram . . . effecerit? rep. I, 17, 28. Quis hoc non perspicit, praeclare nobiscum actum iri, si populus Romanus . . . non sic statuerit, non istum majus in sese scelus concepisse, cum fana spoliarit, cum tot homines innocentes necarit e. q. s. Verr. I, 4, 9. Hoc mihi velim credas: si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Caesaris voluntate, . . me . . id fecisse aliorum consilio e. q. s. fam. XIII, 29, 7. Confiteare necesse est te opinionem multum fefellisse, quod existimaris . . . Cluent. 52, 143. Intelleget non potuisse honorificentius a me fieri de nepote, quam fecerim. Att. XII, 18 a, 2. Tu velim . . . putes . . ., dum tibi roganti voluerim obsequi, verecundia negandi scribendi me impudentiam suscepisse. de or. 71, 238. fam. XI, 7, 2. Verr. III, 90, 211. Caec. 17, 48. Cluent. 59, 160. Pis. 13, 30. tusc. IV, 22, 50. parad. V, 1, 33. fam. XIII, 60, 2.* — Ut indicativus, sic etiam conjunctivus imperfecti semel invenitur hoc loco: *Vinces profecto non fuisse armatos eos, qui saxa jacerent cett. Caec. 21, 60* (cf. p. 76. a).

3. a.

Praeterito si infinitivus perfecti adjungitur, perfecta in praeterito tempore actio significatur. Quod cum ita est, plusquamperfecta cum infinitivis perfecti congruere par est. At indicativum plusquamperfecti non inveni nisi in his locis duobus: *Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est, quod in ejus regnum ac manus venerat is e. q. s. Verr.*

IV, 27, 62. Neque vero cum aliquid mandarat, confectum putabat. Cat. III, 7, 16.

b.

Saepe conjunctivus plusquamperfecti invenitur. *Se, quae de mea salute egisset, voluntate Caesaris egisse . . . testatus est. fam. I, 9, 9. Dixerat . . ., se exemplo fecisse, quod fecisset. Verr. II, 42, 112. Disputavit . . . ita de me illum . . . scripsisse, quae scripsisset, . . . Sest. 34, 73. Cognovi non satis prudenter fecisse Philotimum, qui . . . ipse ad me non venisset, tuas litteras misisset. fam. IV, 2, 1. Hoc voluisse eum (sc. dixit Scaevola), qui testamentum fecisset . . . Brut. 53, 197. Si nunc apud nos id, quod is fecisset, contra foedus factum diceretur, quis audiret? Balb. 6, 16. Si . . . decem soli essent in civitate viri boni . . ., qui te indignum aedilitate judicavissent, gravius de te judicatum putarem, quam . . . Planc. 4, 9. Putavit se audaciam improborum sustulisse, cum spem defensionis nullam reliquisset. Tull. 12. Ait Aristoleles . . . idem fecisse Gorgiam, cum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset. Brut. 12, 47* (quo in loco Bakii conjectura, quem secuti sunt Kayser alii, nihil opus fuit; conjecit autem *quem ... conscripsisse). Omnis bonos tum, cum a patria pestem depulissent, crudelis demonstrabas fuisse. post. red. I, 7, 17* (in his verbis *depulissent* certissima Lambini conjectura mihi quidem videtur pro eo, quod codd. Erlangensis, Pithoeanus, alii habent *depulissem.* Male autem Halmium et Kayserum cod. Parisinum secutos scripsisse existimo *depellerent.* Postulat enim temporum congruentia, quae rerum nititur coincidentia, *depulissent* propter infinitivum *fuisse.* A Wetzelio autem, cum defendat et *conscripsisset* et *depulissent* (l. l. p. 5), tamen probandi ratione me dissentire ex iis intelligitur, quae disputavimus p. 87 sqq.). *Cum ignorarent, si illam civitatem essent adepti, hanc se perdidisse. Balb. 12, 30. Saepe audivi, cum dicerent, pergratum Athenienses et sibi fecisse et multis principibus civitatis, quod . . . tres illius aetatis nobilissimos philosophos misissent. de or. II, 37, 155. P. Servilius pater ex litteris, quas sibi a Caesare missas esse dicebat, significat valde te sibi gratum fecisse, quod de sua voluntate erga Caesarem... locutus esses. Q. fr. III, 1, 20* (in hoc loco verbo *significat* praeterita actio contineri videtur). *Negavit eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse. div. II, 70, 145. — Hoc amplius censeo, Magnum Pompejum, Gnaei filium, pro patris majorumque suorum animo . . . fecisse,*

quod suam . . . operam senatui populoque Rom. pollicitus esset. Phil. XIII, 21, 50. Ita censeo . . . si quis post hoc senatus consultum ad Antonium profectus esset . . ., senatum existimaturum eum contra rem publicam fecisse. Phil. VIII, 11, 33. (De his locis cf. p. 98.) — *Brut. 22, 86. de or. I, 39, 180. 47, 204. or. 53, 177. Mur. 32, 67. fam. V, 16, 6. III, 6, 5. II, 15, 4. Mil. 6, 14. Verr. II, 42, 102. Rosc. Am. 38, 111. Cat. I, 12, 30. Vat. 13, 32. dom. 16, 42.*

c.

Pro plusquamperfecti conjunctivo imperfecti invenitur his locis duobus: *Te hesterno pro testimonio esse mentitum cum adfirmares . . ., paulo ante imprudens indicasti. Vat. 1, 3. Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse dixerunt, quod Lentulo et aliis Saturnalibus caedem fieri atque urbem incendi placeret, Cethego nimium id longum videretur. Cat. III, 4, 10.* Cum his locis conferendus videtur is, de quo p. 64 agebamus, *Att. VIII, 11 D. 5,* in quo plusquamperfecti et imperfecti indicativi inter sese erant conjuncti.

d.

Participia inveniuntur in his locis: *Fabriciis propter conscientiam mei sceleris condemnatis me esse condemnatum sentiebam. Cluent. 30, 81. Quo restituto senatus auctoritatem restitutam putabamus. dom. 2, 4. Ego enim Curionem nactus omnia me consecutum putavi. Att. X, 12, 1. Cluent. 20, 55. 28, 77.*

e.

Etiam cum praeterito adjungitur infinitivus perfecti, paucis in locis proprium tempus ei vindicandum videtur, ut non perfectam praeteriti actionem indicet, sed propriam perfecti temporis notionem habeat. Hoc modo hos locos explicandos censeo: *Qui pro re publica vitam ediderunt, . . . nunquam me hercule eos mortem potius quam immortalitatem assecutos putavi. Planc. 37, 90. Etsi nihil unquam tam fuit scribendum nihil mihi unquam ex plurimis tuis jucunditatibus gratius accidisse, quam quod meam Tulliam . . . coluisti. Att. X, 8, 9. Ostendi jam illud initio, non existimandum magno vendidisse eum, qui verbo decumas vendiderit, re . . . decumas aratoribus nullas reliquas fecerit. Verr. III, 63, 147.* Nam si in his locis infinitivi illi referendi essent ad tempus verborum finitorum *(putavi, fuit scr., ostendi),* non perfecta sed plusquamperfecta cum iis congruerent. Atque eo facilius fieri potuit, ut illi infinitivi ex praeteritis illis *(putavi cett.)* nihil ducerent praeteriti temporis, quod praesen-

tis temporis verba facile subaudiuntur. Sic cum dicas *numquam putavi*, subaudias *neque nunc puto*, et *ostendi jam initio — neque nunc secus sentio.* Is praegnans, quem dicunt, est usus loquendi, de quo cf. L.-M. V. § 125. 2. Unus ejusdem generis locus est, in quo singularius pro perfecti conjunctivo praesentis invenitur ejus generis, quo scriptorum verba solent afferri; hunc dico: *Haec erant dicenda . . . te animadvertisse . . . hos cum acutius disseruisse, tum sensisse gravius es fortius, quippe qui primum valetudinem bonam appetendam negent esse, eligendam dicant. fin. IV, 23, 62* (pro *negaverint, dixerint*).

V.

Passivo verborum dicendi vel sentiendi cum infinitivi adduntur, ad hos quae pertinent secundariae enuntiationes, plane eundem temporum usum exhibent, de quo modo disputavimus. Unum hoc interest, quod in locis hujus generis multo saepius indicativus invenitur, quam conjunctivus. Qua de re satis esse duximus, si enumeraremus hos locos ita, ut per singula proximae partis membra eos disponeremus. Atque ad eam partem, quam significavimus his litteris II. 1. a. hi loci pertinent.

ad II. 1. a. (p. 91).

Quod cum faciamus, prudenter facere dicimur. rep. III, 9, 16. Incredibile est, quam turpiter mihi facere videar, qui his rebus intersim. fam. VII, 30, 1. Satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Cat. I, 1, 2. fat. 20, 47. inv. I, 6, 8. off. 2, 7.

ad b. (p. 92).

Nobis ii videntur errare, qui . . . putant. inv. II, 14, 47. Solem e mundo tollere videntur ii, qui amicitiam e vita tollunt. Lael. 13, 47. Omne quod de re bona dilucide dicitur, mihi praeclare dici videtur. fin. III, 5, 19. Quam (sc. disciplinam) qui profitetur, gravisimam sustinere mihi personam videtur. Pis. 29, 71. Nos, qui domi sumus, tibi beati videmur (sc. esse). fam. IV, 4, 2. Qui aut tempus quid postulet, non videt aut plura loquitur . . ., is ineptus esse dicitur. de or. II, 4, 17. Isti cum dissolvunt orationem, . . . scopas, ut ita dicam, mihi videntur dissolvere. or. 71, 235. Cum hominem nomino, satis mihi videor dicere. Quinct. 12, 40. Romae videor esse, cum tuas litteras lego. Att. II, 15, 1. Primum mihi videmini, . . . cum veteres physicos nominatis, facere idem, quod seditiosi cives solent. ac. pr. II, 5, 13. An tibi irasci tum videmur, cum quid in causis acrius

et vehementius dicimus? tusc. IV, 25, 55. Si id mihi assumo, videor id meo jure quodammodo vindicare. off. I, 1, 2. Quae quia non vides, mihi videris meliore esse conditione quam nos. fam. IV, 3, 2. Quod haec narrationis magis putant esse propria, . . . valde mihi videntur errare. de or. II, 19, 83. inv. I, 20, 28. de or. II, 6, 24. or. 28, 99. off. I, 7, 23. de. nat. I, 12, 29. am. 14, 51. Q. fr. I, 1, 45. fam. IX, 15, 2. sen. 6, 18. fin. IV, 16, 43. III, 19, 62. de or. II, 15, 65. Phil. III, 7, 18. Brut. 75, 261. Att. II, 1, 7. Mur. 34, 70. Participium pro enuntiatione secundaria est in hoc loco: *Idque faciens interdum mihi peccare videor. Att. XII, 14, 3.* Huc etiam pertinere hunc locum existimo: *Omnesne tibi illi delirare visi sunt, qui sine manibus et pedibus constare deum posse decreverunt? de. nat. I, 33, 92.* Nam perfectum *decrevi* et alias saepe et hoc loco praesentis temporis continuum quendam statum indicat, haud fere aliter atque *statui, in animum induxi* alia, ut idem fere sit quod *existimo, sentio* (cf. L.-M. V. § 105). Infinitivus *delirare* autem suam temporis notionem videtur habere neque ex verbo *visi sunt* praeteriti temporis quidquam accepisse. Congruit igitur infinitivus praesentis cum perfecto praesentis *decreverunt* (cf. p. 93. c).

ad 2. a. (p. 92).

Ea si dicam non esse e re publica dividi, docere te videar, non rogare. fam. XIII, 8, 2.

ad b. (p. 93.)

Nunquam ille mihi satis laudari videbitur, cum ita laudabitur. Att. XIV, 16, 3. Hoc amplius si quid poteris, non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria . . . facultate posse. de or. I, 10, 44. Efficient, ut . . . nec nos id quod faciemus, opera dedita facere videamur. de or. III, 50, 193. Non vereor ne mihi aliquid videar adrogare, si de quaestura mea dixero. Planc. 26, 64 (cf. fam. XIII, 57, 2. Verr. II, 73, 179. p. 97. 2.).

ad c. (p. 93).

Ad Atticorum aures teretes et religiosas qui se accommodant, ei sunt existimandi Attice dicere or. 9, 27. Ut recte praecipere videantur, qui monent. off. I, 26, 90.

ad d. (p. 93).

Ut . . . judex is videatur legi obtemperare, qui . . . scripturam sequatur. inv. II, 48, 141. Tanta superstitio

. . . *mentes omnium Siculorum occupavit, ut, quaecunque accidant publice privatimque incommoda, propter eam causam sceleris istius evenire videantur.* Verr. IV. 51, 113. *Ut mihi in hoc Stoici jocari videantur interdum, cum ita dicant* . . . fin. IV, 20, 30.

ad 3. a. (p. 94).

Ut mihi, cum illo cum loquerer, tecum loqui viderer. fam. III, 6, 2. *Hunc . . . cum videremus, Blossios mihi videbar illos videre.* leg. ag. II, 34, 93. *Visus est mihi primo veterator intelligere praeclare, quid causae obstaret, et tantummodo errare, quod omnes testes infirmaret, qui ante eum dixissent.* Caec. 10, 30. *Qua in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eundem et laederes et laudares* e. q. s. Rosc. Com. 6, 19. *Qui, si te publice laudarent, tamen id more potius suo quam merito tuo facere viderentur.* Verr. II, 64, 155. fin. II, 16, 51. de or. I, 22, 103. fam. VII, 28, 1. Quinct. 26, 81. *Illum audiens te videbar audire.* fam. X, 3, 1.

ad 3. b. (p. 95).

(Tribuniciam potestatem) cum poscebat, verbo illam poscere videbatur, re vera judicia poscebat. Verr. act. I, 15, 44. *Ridiculi videbantur esse, cum Sacerdotem exsecrabantur, qui verrem tam nequam reliquisset.* Verr. I, 46, 121. *An tibi tum imperium hoc esse videbatur, cum populi Romani legati . . . capiebantur, cum ex omnibus provinciis commeatu . . . prohibebamur* e. q. s. Pomp. 17, 53. *Quamquam ob alias causas tacebant, tamen hominibus omnia timentibus tacendo loqui . . . videbantur.* Sest. 18, 40. *Ut, quidquid sua sponte faciebat, . . . eripere potius quam fallere videretur.* Verr. II, 54, 134. III, 86, 198. har. resp. 24, 50. off. III, 10, 40. fin. II, 19, 83.

ad III. 1. a. (p. 96).

Videor interdum peccaturus esse, nisi faciam. Att. XII, 14, 3. *Ejus ego studio vix videor mihi satisfacere posse, si utar verbis iis, quibus* . . . fam. XIII, 6, 3.

ad b. (p. 96).

Tu vero, Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus, si eos non modo copia rerum auxeris. Ac. post. I, 7, 26. *Multum et nobismet ipsis et nostris profuturi videbamur, si eam (sc. superstitionem) funditus sustulissemus.* div. II, 72, 148.

ad IV. 1. a. (p. 99).

Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui repente caelum solem aquam terramque ademerint? Rosc. Am. 26, 71. Sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit. ib. 25, 70. Privavisse se etiam videtur multis voluptatibus, cum ipsi naturae patrioque amori praetulerit jus majestatis atque imperii. fin. I, 7, 23. Jam mihi videor navasse operam, quod huc venerim. de or. II, 7, 26. fam. XVI, 1, 1. tusc. IV, 17, 40.

ad b. (p. 100).

Mihi videntur omnes quidem illi errasse qui finem bonorum esse dixerunt honeste vivere. fin. IV, 16, 43. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienses resectis palpebris inligatum in machina vigilando necaverunt, supplicio videtur adfectus. Pis. 19, 43. Ei mihi videntur fortunate beateque vixisse . . ., quibus cum auctoritate rerumque gestarum gloria tum etiam sapientiae laude perfrui licuit. Brut. 2, 9. Dubitari hoc potest, reciperatores, utri oppugnasse videantur, qui ad villam venerunt, an qui in villa manserunt. Tull. 55. de or. I, 1, 1. III, 5, 20. off. II, 22, 77. sen. 18, 64. Caec. 11, 32. Verr. II, 27, 67. Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea . . . victis remisisti. Marc. 4, 12. Vidisse mihi multum videris, cum . . . te in Graeciam contulisti. fam. VII, 28, 1. Mihi ne Scipio quidem ille . . . iratus videtur fuisse Ti. Graccho tum, cum consulem languentem reliquit e. q. s. tusc. IV, 23, 51. Cum ea, quae quasi involuta fuerunt, aperta sunt, tum inventa dicuntur. Ac. pr. II, 8, 26. — Videor mihi gratum fecisse Siculis, quod eorum injurias meo labore . . . sum persecutus. Verr. II, 6, 16. Quod vero securi percussit filium, privavisse se etiam videtur multis voluptatibus. fin. I, 7, 23. Quod autem exspectationem tui concursumque eum . . . sustulit, id mihi non incommode visum est accidisse. Q. fr. I, 2, 1 (in hoc loco infinitivus *accidisse* propriam perfecti temporis notionem habet ideoque perfectum *sustulit* cum eo congruit. (cf. p. 106 e). *Att. II, 18, 2. Quinct. 20, 65 (si). Phil. III, 5, 13 (quamquam). Itaque mihi videor, judices, . . . vestrae laudi existimationique servisse. Accessi enim ad invidiam judiciorum levandam. Verr. I, 2, 5* (i. e. qui vel cum accessi). Participia sunt in his locis: *Quibus rebus expositis satis docuisse videor. de. nat. II, 61, 153. Cat. II, 4, 7. Phil. V, 14, 40. Caec. 2, 5.*

ad 2. a. (p. 102).

De tuo autem filio vereor, ne si nihil ad te scripserim, debitum ejus virtuti videar testimonium non dedisse. fam. V, 17, 4. Si id quod oportet responderis, idem videare respondisse quod Servius. Mur. 13, 28. Ut, si versus mihi nocuerit, ab eo, quem is versus offenderit, videatur mihi pernicies esse quaesita. Pis. 30, 74. Cur committis, Caesar, ut . . . praestantissimus vir, si tibi non sit assensum, repulsam tulisse videatur. Phil. XI, 8, 19. Ut optime actum cum eo videatur esse, qui quam levissima poena ab hac republica discesserit. fam. V, 18, 1. Ut . . . ea cum redierint post ad idem limen, postliminio redisse videantur. top. 8, 37. de or. III, 9, 33. fam. I, 5a, 3. Q. fr. I, 1, 44. Cael. 20, 49.

ad b. (p. 102).

Ne, si de clarissimo adolescente siluero, invidisse videar Antonio. Phil. XIII, 13, 28. Tum idem fecisse erit existimandus, si eodem consilio fecerit. Verr. III, 92, 214. Ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta (sc. domus). fam. XIV, 2, 2. Negaro, videbor . . . honorem homini amicissimo denegavisse. Phil. XI, 8, 19. fam. XIV, 1, 3. inv. I, 9, 12. Cat. II, 7, 14.

ad c. (p. 103).

Non committamus, ut ea, quae gessimus, fortuito gessisse videamur. Att. I, 20, 3. Te absoluto alii, quod audacissime fecerunt, recte fecisse existimentur. Verr. III, 88, 266. Ut nobis optime naturae vim vidisse videantur, qui nihil melius homini . . . honoribus, imperiis, populari gloria judicaverunt. tusc. III, 2, 3. de or. III, 3, 10. Quinct. 7, 28. Sull. 30, 83.

ad d. (p. 104).

Recordatione . . . sic fruor, ut beate vixisse videar, quia cum Scipione vixerim. am. 4, 15. Ne tu, qui id me facturum paulo ante dixeris, videare mentitus. ac. pr. II, 27, 87. Ut, cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur. div. I, 25, 53. (Stultitia) facit, ut hoc stultissimum, quod in regnum venerit, quod regi se commiserit, sapienter factum esse videatur. Rab. Post. 9, 24. Att. VII, 13, 6. fam. V, 16, 4.

ad 3. b. (p. 105).

Videbar mihi, cum me in res turbulentissimas infidelissimis sociis demisissem, praeceptis illorum (sc. librorum) non satis

paruisse. fam. IX, 1, 2. Eam legem sibi statuerat, ut, quocunque venisset, lux venisse quaedam et spes salutis videretur. Phil. X, 6, 12. Fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem . . . consulatum attulisset. Mur. 40, 86. Vos id credidissetis: homini credidisse non factum comprobasse videremini. Verr. III, 97, 224. Phil. I, 2, 4. fam. XV, 9, 3. Mil. 4, 11. Tull. 53. Rosc. Am. 1, 2. Lux quaedam videbatur oblata non modo regno ... sed etiam regni timore sublato. Phil. I, 2, 4.

Restant ex tota copia pauci loci, quorum in duobus secundaria sententia sola obliquam orationem contineat, cujus infinitivus cum primariae sententiae verbo finito congruat. Dico hos locos: *De me quod tulisse te dicis, . . . nonne extra ordinem tulisti? dom. 10, 26. Quod tu Habiti pecunia factum esse arguis, . . . factum est primum illorum aequitate et sapientia consulum e. q. s. Cluent. 49, 137.* Et primaria et secundaria enuntiatione obliqua oratio continetur hoc loco: *Putat homo . . . rusticus ista omnia, quae vos per Sullam gesta esse dicitis, more, lege, jure gentium, facta. Rosc. Am. 49, 143.* Paulo diversa ratione infinitivi congruunt in hoc loco: *Demonstrat ... Siculos in eos sane liberos fuisse, qui, quamobrem arcesserentur cum intellegerent, non venisse. Verr. act. I, 9, 25.*

Quoniam disputationis nostrae ad finem pervenimus, non alienum videtur de eo obliquae orationis genere, quod infinitivis adjungitur, quid sentiamus, paucis comprehendere. Atque solere infinitivos referri ad suum quemque verbum finitum ab eoque certi temporis notionem mutuari dicimus; sin ex futuro tempore oratio pendeat, et perfecti infinitivum (p. 103. c. 104. d.) et praesentis (93 c. et d.) saepe suum proprium tempus habere, id quod ipsa sententia facile intelligitur. Etiam futuri infinitivo cum ex praesenti oratio pendeat et perfecti infinitivo, cum adjungatur praeterito, et praesentis infinitivo cum praeterito conjuncto posse proprium esse tempus paucis ex locis cognovimus p. 97. 3, 106. e, 108, 110.

Qua de re quoniam infinitivus praesentis quem dicunt et praesentis vim habet, — cum pendet ex praesenti —, et imperfecti, — cum pendet ex praeterito — et futuri ex futuro aptus, tum praesens, tum imperfectum, tum futurum (vel indicativi vel conjunctivi), cum eo congruere necesse est. Item

perfecti infinitivus, quoniam, cum ex praesenti pendet, perfecti praesentis, cum ex praeterito, plumquamperfecti, cum ex futuro, futuri exacti vim habet, tum cum perfectis, tum cum plusquamperfectis tum cum futuris exactis (vel conjunctivi vel indicativi modi) recte congruit. Neque aliter cum futuri infinitivo, qui ex praesenti aptus praesentis, ex praeterito aptus praeteriti actionem instantem significet, et praesentis et imperfecti conjunctivus (non indicativus) conjungitur, sed saepius perfecti et plusquamperfecti conjunctivus; futurum cum hoc infinitivo non congruere videbamus, nisi cum ex futuro penderet. Ubicunque vero proprium est infinitivi tempus, ejus temporis est infinitivus, cujus appellatur, aut praesentis aut perfecti aut futuri. Tum igitur aut praesens aut perfectum aut futurum ad eum referri opus est.

Argumentum.

Caput primum.

De coincidentiae vi ac notione.

Caput alterum.

Genera coincidentiae explicantur.

Caput tertium.

De temporum in sententiis coincidentibus usu.

Gottingae, typis expressit officina academica Dieterichiana (W. Fr. Kaestner).

